

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Consideratio status damnatorum, quod actiones ipsorum inprimis malas, concernit**

**Fecht, Johann**

**Durlaci, 1680**

De statu damnatorum, quod actiones ipsorum malas concernit disquisito

[urn:nbn:de:bsz:31-122744](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122744)



De  
*Statu Damnatorum,*  
*Quod actiones ipsorum malas concernit,*  
Disquisitio.



I. Difficilis est quæstio & inter Theologos Doctores non tam animorum contentione, quam argumentorum momenti agitata: quis & qualis damnatorum quondam in inferno status futurus sit, quod sive actiones eorundem sive passiones concernit? Et ut de passionibus, de quibus multorum luculentissima opera publicè extant, nunc nihil dicamus, an & quid acturi sint locorum infernalium cives? An damnati olim in inferno sint peccaturi, & quod præcipuè inquiritur, DEUM blasphematuri? Nam ab hac quæstione cœteræ ferè dependent.

II. Videas enim in sententiarum divortia abire, cum veteris Ecclesiæ Patres, tum recentioris ævi auctores. Non injucundum fore arbitror, si quosdam, ut institutum nostrum patietur, suomet ore loquentes audiamus.

III. Johannes Chrysoströmus, Novæ Romæ Episcopus, vir verè sui nominis, Homiliâ de Adorat. Cruc. Tom. I. Opp. Ed. Basil. p. 888. ubi infernalialia mala quasi in compendio enumerat, ita loquitur: *Liberabere tum & à gehennâ & à verme, qui venenum jacula-*

A

tur



tur & à stridore denium, & à vinculis, quæ dolorem afferunt, & ab angoribus, & à malis, & à tenebris lumine carentibus & à divissione & ab ignis fluminibus & ab execratione & à locis dolorum plenis. Cum hæc obscuriora sint, quam ut hinc indubitata aurei oris sententia hauriri queat, alium producemus locum. Commentario in Epist. Pauli ad Phil. Serm. III. Tom. IV. p. 1142. Non deploramus, inquit, simpliciter mortuos, sed eos, qui in peccatis sunt. Hi quippè & lamentis & planctu & lacrymis digni sunt. Nam dic, quaeso, quæ spes esse poterit illis, qui cum peccatis suis eò hinc abscedunt, ubi peccata exuere non licet? Donec enim erant in hoc seculo, plurimum forte erat expectationis & spei, immutandos illos, melioresque fore. Digressi verò in infernum, ubi nihil potest prodesse poenitentia, (in inferno siquidem, inquit, quis confitebitur tibi) quomodo digni non sunt, qui deplorentur? Quæ iisdem ferè verbis repetita leges, Homiliâ LXIX. ad populum Antiochenum, cujus argumentum est, quod peccatores lugendi sint viventes & mortui; Tom. V. p. 438. In enarratione Historiæ de Epulone divite & Lazaro, Tom. II. p. 1320. f. hypocritin epuloni attribuit; hoc enim dicente: Pater Abraham, miserere mei; notat: Frustra agis poenitentiam in loco, ubi non est poenitentia locus. Tormenta te cogunt agere poenitentiam, non mentis affectus. Et mendacium; nam ad verba epulonis: Rogo ergo te pater, ut mittas eum in domum patris mei, subdit: vide per versitatem, nec in ipsis poenitentia continet veritatem. Vides enim, quid dicat? Rogo ergo te pater? Ergo Pater es Abraham. Et quomodo ergo dicis, mitte eum in domum patris mei? non oblitus es patris tui? non es oblitus, quia pater ille te perdidit? Hæc ille.

IV. Patrum Augustissimus, Augustinus, cui omnium eruditorum iudicio conceditur palma, in Enchiridio ad Laurentium, cap. CXI. his verbis promittit sententiam suam: Post resurrectionem verò factò universo, impletoque iudicio, suos fines habebunt civitates duæ, una Christi, altera diaboli, una bonorum, altera malorum, utraque tamen angelorum & hominum. Istis voluntas, illis facultas non poterit ulla esse peccandi, vel ulla conditio moriendi: istis in eternâ vitâ verè feliciterque viventibus, illis infeliciter in eternâ morte sine moriendi potestate durantibus, quoniam utriusque sine fine. Sed in beatitudine isti, alius alio, prestabilis, in miseriam verò illi alius alio tolerabilis permanebunt. Crucem fixerunt interpretibus illa Doctoris verba: **ILLIS FACULTAS NON POTERIT ULLA ESSE PECCANDI.** Lambertus Danæus, di-



ligens alioquin Augustini lector, Commentario ad h. l. tacet. D. Georg. Calixtus, qui & Augustinum impensè æstimavit & libros ejus de Doctrinâ Christianâ exposuit, in opere de Bono perfectè summo, p. 50. damnatos perversâ voluntate peccaturos esse, defensus, & ægrè, opinor, ferens, tantum antiquitatis Doctorem sibi adversari, eundem in suas partes ita interpretatur: ut scribat: *Illis facultas non poterit ulla esse peccandi: subintellige, ita peccandi, ut DE I gloria tenebras offundant vel beatis noxam inferant, eorumve felicitatem & gaudia turbent aut minuant.* Sed verò non admittit hanc interpretationem evidens apud Augustinum voluntatis & facultatis oppositio, quæ vult, salvatos neque velle neque posse, damnatos autem velle quidem, sed non posse ullo modo actu peccare. Fidem rei faciet illustris ex libro de Fide ad Petrum Diaconum locus, c. III. tom. III. opp. Ed. Basil. p. 223. ubi hæc habet Augustinus, vel ex Augustini lucubrationibus, censente Erasmo, quilibet alius: *Tempus acquirendi vitam æternam in istâ tantum vitâ Deus hominibus dedit, ubi voluit etiam pœnitentiam esse fructuosam. Ideo autem hic pœnitentia fructuosa est, quia potest hic homo depositâ malitiâ bene vivere: & mutatâ voluntate injustâ, merita simul operaque mutare & in timore Dei ea gerere, quæ placeant Deo. Quod, qui in hac vitâ non fecerit, habebit quidem pœnitentiam in futuro seculo de malis suis, sed indulgentiam in conspectu Dei non inveniet, quia etsi erit ibi stimulus pœnitentis, nulla tamen ibi erit correctio voluntatis. A talibus enim iniquitas sua ita culpabitur, ut nullatenus possit ab eis vel diligi vel desiderari justitia. Voluntas enim eorum talis erit, ut habeant in se semper malignitatis suæ supplicium, nunquam tamen percipere possint bonitatis affectum. Quia sicut illi, qui cum Christo regnabunt, nullas in se male voluntatis reliquias habebunt: ita illi, qui erunt in supplicio ignis æterni, cum Diabolo & ejus angelis deputati, sicut nullam ulterius habebunt requiem, sic nullatenus bonam habere poterunt voluntatem. Et sicut coheredibus Christi dabitur perfectio gratiæ ad æternam gloriam: sic consortibus Diaboli cumulabit ipsa malignitas pœnam, quando exterioribus deputati tenebris nullo illustrabuntur interiore lumine veritatis. Quamquam autem & mala voluntas peccati rationem habeat, id tamen propriè non est illud peccatum, de quo, utrum in damnatos cadat, quæritur. Nam Augustino, voluntatem habere peccandi, non facultatem, est gerere peccatricem naturam, quæ tamen, quo minus in actus peccaminosos & scelera,*



4.  
ex. gr. blasphemiam prorumpat, vi quadam superiori, ex iudicio  
Divino, vel certè pœnarum atrocitate impediatur, sicut canis rabi-  
dus, ne nocere queat, catenâ constringitur. At, qui peccare posse  
damnatos profitentur, non vitiosam tantum naturam, sed actus  
vitiosos, odium Dei, odium sui ipsius, invidiam, tristitiam, impatientiam, &  
desperationem, iisdem adscribunt. Denique Scholasticorum Prin-  
ceps hanc ipsam malam voluntatem, de quâ Augustino sermo est,  
non esse peccatum, sed supplicium tantum, opinatur, quâ de re  
infra amplius dicetur.

V. Patet ex his Augustini indubitatis, suppositum Augustino  
fœtum esse, librum de triplici habitaculo, qui extat Tom. IX. pag.  
809. in quo ista reperiuntur: *Regnum Dei omni famâ majus & omni  
laude melius, omni scientiâ innumerabilius, omni gloriâ, quæ putatur, excel-  
lentius. Mala autem inferni dicere vel cogitare, ut sunt, nemo potest: pejo-  
ra quippe sunt valde, quam cogitantur. Regnum itaque Dei plenum est lucis  
& pacis & charitatis & sapientiæ & gloriæ & honestatis & dulcedinis & me-  
lodiæ & lætitiæ & beatitudinis perennis & omnis boni ineffabilis, quod nec  
dici nec cogitari potest. At lacus inferni plenus est tenebrarum, discordiæ, odii,  
stultitiæ, miseriæ, turpitudinis, amaritudinis, offerisionis, doloris, adustionis, sit-  
tis, famis, ignis inextinguibilis, tristitiæ, vindictæ perennis & omnis ineffabilis  
mali, quod nec dici nec cogitari potest. In regno aeterno erit vita sine morte,  
veritas sine errore, felicitas sine perturbatione. Omne bonum in regno DEI  
abundat & nullum malum: omne malum abundat in carcere diaboli & nul-  
lum bonum. Quare ab Erasmo Roterodamo hæc censura præfixa  
legitur: *Librum hunc pius quispiam & ociosus consarcinavit, hoc melior su-  
periore, quod brevior.**

VI. Cæterum non dubito, opposuisse Augustinum senten-  
tiam suam sententiæ Origenis Adamantii, quem & in sequenti  
capite circa terminationem supplicii infernalis vellicat, verbis:  
*Frustra itaque nonnulli, imò quamplurimi, aeternam damnatorum pœnam &  
eruciatum sine intermissione perpetuos humano miserantur affectu. Nam  
Origenes, Ecclesiæ Cæsariensis, dum viveret, Presbyter, qui eru-  
ditionis stupendæ famâ omnem orbem impleverat, damnatos ita  
mala agere asseruit, ut pro libertate arbitrii & bona agere, indeque  
liberari ex inferno & inferi cœlo possint. Libro primo Periar-  
chon, cap. VI, p. 682. ita loquitur: *Fam verò, si aliqui ex his ordinibus,*  
quâ*



qui sub principatu Diaboli agunt, ac malitia ejus obtemperant, poterunt aliquando in futuris seculis converti ad bonitatem, pro eo, quod est in ipsis liberi arbitrii facultas: An vero permanens & inveterata malitia velut in naturam quandam ex consuetudine convertatur, etiam tu, qui legis, probato, si omnimodè, neque in his, quæ videntur, temporalibus seculis, neque in his, quæ non videntur, & æterna sunt, penitus pars ista ab illâ etiam finali unitate & convenientiâ discrepabit. Interim tam in his, quæ videntur, & temporalibus seculis, quam in illis, quæ non videntur & æterna sunt, omnes isti pro ordine, pro ratione, pro modo & meritorum dignitatibus dispensentur, ut alii in primis, alii in secundis, nonnulli etiam in ultimis temporibus, & per majora & graviora supplicia, nec non & diuturna, ac multis, ut ita dicam, seculis tolerata, asperioribus emendationibus reparati & restituti, eruditionibus primo angelicis, tum deinde etiam graduum virtutibus, & sic per singula ad superiora provehit, usque ad ea, quæ sunt invisibilia & æterna, proveniant, singulis scilicet celestium virtutum officii quadam eruditione in specie peragrat. Ex quo, ut opinor, consequentia ipsa ostendit, unamquamque rationabilem naturam posse ab uno ordine in alterum transire, & per singulos in omnes, ab omnibus in singulos provenire, dum accessus profectuum defectuumque, varios, pro motibus conatibusque propriis unusquisque pro liberi arbitrii facultate perpetitur. Lib. III. c. XI. p. 722. Ex quo opinamur, quoniam quidem immortalis est anima & æterna, quod in multis & sine fine spatiis per immensa & diversa secula possibile est, ut à summo bono ad infima mala descendat & ab ultimis malis ad summa bona reparatur. Sed verò notus est circulus Origenianus, rerum in sese perpetuè revolutarum, & possibilis terminatio supplicii infernalis in hoc illove subjecto, ob libertatem benè maleque agendi, ubique manentem: quæ, ut vitaret, voluntatem damnatis mala patrandi nunquam, sed facultatem deesse, docuit Augustinus.

VII. Gregorius M. libro IX. Moral. c. XXXIIII. & XXXIX: quamquam directo studio de qualitate pœnarum infernalium agat, tenebrasque Hiob. X. 22. miserie oppositas, de vitiis intellectus & voluntatis interpretari posset, non tamen nisi meri supplicii, quod malum pœnæ vocamus, mentionem facit. Foris, inquit, eos dolor combustionis cruciat & intus pœna cœcitatatis obscurat; quatenus, qui auctori suo corpore & corde deliquerunt, simul corde & corpore puniantur & utrobi-



que pœnas sentiant, qui, dum hic viverent, pravis suis delectationibus ex utraque serviebant.

II. Prosper Aquitanicus libro III. de vitâ contemplativâ, c. XII. Edit. Lugd. p. 64. damnatos omni actione videtur privare & subicere meræ passioni: *Quid est, inquit, obmutescentes manibus & pedibus ligari, nisi in inferno, ubi Deo nemo confitetur, actione privari, sicut in exteriores tenebras mitti, nihil aliud erit, nisi à Domino, qui est mentium lumen, expelli?* Et post pauca: *Sed nos jam, si videtur, ab his terribilibus malis, quæ fidelium mentes salubri terrore concutiant, atque ab omnibus vitiosis delectationibus abducunt, & quæ amatores voluptatum suarum tunc suâ damnationis experimento probabunt, quando jam, quod est omni infelicitate miserius, se emendare non poterunt: ab his, inquam, terrificis & tristibus malis ascendamus ad illa sublimia, quibus perficientium mentes in spem promovenda beatitudinis asurgunt, abjuratisque terrenis cœlestia concupiscunt.* Quamquam generalia verba de auctoris certâ sententia non patiantur, aliquid indubii pronunciarî.

IX. Anshelmus, libro de Similitud. c. XLIX. *Erit ibi turpitududo, ponderositas, imbecillitas, servitus, infirmitas, anxietas, insipientia, inimicitia, discordia, dedecus, impotentia, timor, tristitia.* Septem priores hujus miseriæ partes corporis, septemque ultima miseriâ perficiunt mentis. Hugo Victorinus, lib. IV. de An. c. XIII. odium sui & aliorum damnatis adscribit, quod utique peccatum est. *Ibi miseria, ibi tenebræ, ibi ordo nullus, ibi horror æternus, ibi nulla spes boni, nulla desperatio mali.* Omnis, qui est in eo, odit se & omnes alios. *Ibi vidi omnia genera tormentorum, quorum minimum est majus omnibus his tormentis, quæcunque in hoc seculo fieri possunt.*

X. Bernhardi Clarevallensis Abbatis, haud obscura est de peccatis inferorum opinio, quam aliquoties prodit. Sermone de Beatâ Mariâ, Edit. Basil. p. 2198. *Infernus hic incipit, alibi perficitur, cum anima vitio, caro supplicio atteritur.* De verbis Origenis, p. 588. *Abfit, ut in cœlo credatur locus esse tristitiæ, (visus autem hoc fuerat Origenes asserere, dicendo: Salvator meus luget etiam nunc peccata mea & tamdiu est in mœrore, quamdiu nos persistimus in errore) sicut nec culpa. Nemo ibi delinquere, nemo lugere potest, sicut nec in terrâ quidem pœna ulla fuisset, nisi iniquitas præcessisset.* In cœlo utique sola justitia, sola nihilominus latitia est: *in inferno solum peccatum & pœna peccati*  
por-



7.  
porro in medio utraque inveniuntur, atque ideo neutra consummata. Sicut ergo in cœlo consummata est justitia, ita in inferno consummatum sit peccatum necesse est. Sermone II. X. in Psalmum, *Qui habitat*, p. 426. Unde verò impii tanto animi furore tabescerent, nisi in regnum summæ beatitudinis coram se vidissent alios introduci & tunc demum in illos sese factores, in illos horrores, in illos æterni incendiî cruciatus, in illas denique immortalis mortis miseras gemerent esse damnatos? Ibi enim, inquit, erit fletus & stridor dentium. Fletus quidem ob ignem, qui non extinguitur, stridor verò ob vermem, qui non moritur. Planè fletus ex dolore, stridor dentium ex furore. Fletum nempe tormentorum immanitas, stridorem dentium vehementia ipsa tabescens invidia & obstinata malignitas extorquebit. Nempe, cum alii fridere dentibus damnatos, ob frigus, sicut flere propter fumum ignis, tradunt, Bernhardus flere ob tormentorum atrocitatem, fridere ex invidia & animi malignitate, ubi beatos tot gaudiis circumfundi videant, arbitratur.

XI. Deniq; Innocentius III. Pont. Rom. qui librum scripsit de contemptu mundi seu de miseriâ humanæ cõditionis, l. III. c. X. omniû clarissimè: *Reprobis irascitur Deus æternaliter, quia justum est, ut quod impius in suo provaricatur æterno, Deus ulciscatur in suo æterno. Nam licet peccandæ facultas illum dimittat, ipse tamen non dimittit voluntatem peccandi. Scriptum est enim: superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper. Nam non humiliabuntur reprobi jam desperati de veniâ, sed malignitas odij tantum excrescit, ut velint, illum omninò non esse, per quem sciunt, se tam infelicitè esse. Maledicent altissimo & blasphemabunt excelsum, conquerentes, eum esse malignum, qui creavit illos ad pœnam & nunquam inclinatur ad veniam. Audi Johannem in Apocalypsi dicentem: grando magna descendit de cœlo in homines & blasphemaverunt homines Deum propter plagam grandinis, quoniam magna facta est vehementer. Voluntas ergo damnati, licet amiserit potestatis effectum, semper tamen habebit malignitatis affectum & ipsa erit in inferno supplicium, quæ fuerat in mundo peccatum: licet forsan & ibi peccatum, sed non meritum pœnæ. Impius ergo, quia semper habebit in se reatum ex culpâ, semper sentiet contra se esse cruciatum ex pœnâ, quia, quod ipse per pœnitentiam non delevit, Deus per indulgentiam non remittet. Agnoscit Papa, non voluntatis tantum in damnatis malitiam, sed malitiæ hujus prodeuntes in scelera actus. Nam & blasphematuros esse DEUM damnatos, eique maledicturos, fretus S. Literarum auctoritate, ad-*  
se-



severat. Ne tamen aliquid à receptâ tum in Scholis & Ecclesiâ Augustini sententiâ doceret, hæc voluntatis flagitia peccata esse negat, quia sint sine potestatis effectu, id est, ut ego intelligo, quia DEUM perpetuò punientem neque lædant, neque proximum exemplo offendant, qui, si in gloriâ sit constitutus, isthanc pervicaciam sine animi commotione intueatur, sin in inferno, ex participatione criminis pari quoque pœnâ afficiatur. Denique cum peccatorum omnium maximum, blasphemiam, peccatum esse inficari, durum videretur, quasi corrigens seipsum, peccatum esse, sed non meritum pœnæ, concedit: de quo, ex iis, quæ circa Scholasticorum sententias dicturi sumus, judicari poterit.

XII. Recensuimus hæctenus Ecclesiasticorum in antiquitate Doctorum varias de propositâ quæstione sententias: dispiciendum nunc porro est, quid Theologi Scholastici, qui licet sermone barbari, acutissimi tamen philosophi fuerunt, censente in Epistolâ ad Kirchmannum Chemnitio, de eadem fuerint opinati.

XIII. Igitur Petrus Lombardus, qui primus degenerantem à veteri puritate Ecclesiam in ordinem redigere, scripto sententiarum ex vetustis Patribus, in primis Augustino, confarcinarum libro, ad laboravit, libro IV. distinet. L. c. i. de statu & conditione damnatorum & malorum post iudicium, quantum ad rationem & voluntatem, hanc format quæstionem: *Si mali in inferno peccabunt?* Deque eâ hunc in modum disputat: *Hic oritur quæstio ex præmissis ducens originem. Supra enim Augustinus loquens de malis in inferno damnatis & bonis in caelo glorificatis, dixit: quod nec bonis voluntas nec malis facultas esse peccandi poterit. Et de bonis quidem constat, sed de malis, à quibus voluntatem malam non removeret, quaritur: quomodo sit verum, eos non peccare, cum malam habeant voluntatem? Quidam autem, illam voluntatem non esse peccatum, sed supplicium tantum. Alij verò peccatum esse fatentur, sed per illud eos non mereri aliquam pœnam, quia non est locus merendi. Illud ergo peccatum dicunt, non esse meritum supplicij, sed supplicium mali meriti, quod in hac vitâ præcessit. De hoc autem Augustinus ita dicit: Tempus acquirendi vitam eternam: Verba allegavimus supra, S. IV. quibus subjicit Magister: Ex his apparet, reprobos in inferno penitentiam sic gesturos, ut per eam pravam voluntatem non deserant: & illa maligna voluntas erit eis ad cumulum pœnæ, per quam tamen non merebuntur, quia*  
nul-



Nullus meretur, nisi in hac vita. Henricus Gorichem, Lombardi interpretes, hæc breviter ita exponit: *Sententia Magistri stat in tribus propositionibus, quarum prima est hæc: Mala voluntas damnatorum, prout existit extra merendi statum, est pœna & non culpa nec peccatum.* Hanc Magister insinuans, querit primo: *utrum verum sit, quod dicit Augustinus, quod in malis & damnatis non est facultas peccandi, cum tamen continue habeant malam voluntatem?* Et respondet secundum quosdam, quod illa mala voluntas non est peccatum, sed pœna. Secundum alios verò, est culpa, sed per eam nihil demerentur, quod non sunt in statu demerendi. Magister autem primam opinionem approbat, scilicet, quod talis voluntas sit pœna: quod, sicut cedit bonis ad gloriam, quod non possunt habere malam voluntatem, ita malis in pœnam, quod non possunt habere bonam voluntatem.

XIV. Vixit Petrus Lombardus seculo post natum Christum duodecimo, Parisiensem Episcopatum adeptus, connivente Philippo, ejusdem Ecclesie Decano, Fratre Regis Francorum, qui, ut dicunt, electionem suam concessit eidem; ita supplementum Chronici Sigberti Gemblacensis, ad ann. M C LX. Cujus sententiæ ab eo tempore in Christianorum Scholis, præter articulos XXVI, in quibus Magister à Scholasticis Doctoribus rejici solet, seu, ut illi loquuntur, *communiter non tenetur*, velut oracula quædam publicè tradebantur, & in sequenti tempore, etsi scisis in sectas, è quibus eminent Thomistæ & Scotistæ, Suareziani & Vasquetiani, ejus affectis, magnâ & incredibilem Commentariorum mole, in quibus denique ipsi Pontificii, Melchior Canus, Dominicus Soto, Alphonsus Salmeron, aliique methodum & dicendi artem, tantæ confusionis & obscuritatis pertæsi desiderarunt, exponebantur. Nos unius tantum alteriusque, qui nunc nobis ad manus est, sententiam audiemus.

XV. Igitur Eustachius Bonaventura, Alexandri Alensis, primi in Magistrum Commentatoris, discipulus, qui obiit idus Julii, Ann. M CC LXXIV. Eccl. Rom. Cardinalis & Ordinis Minorum Generalis, *cujus doctrinâ mirificè delectatum esse Clementem IV. P. P. Platina refert, & quem Johannes Gerson, Cancellarius Parisiensis, recensente in præfixâ operi commendatione Jacobo Wimphelingo, Sletstatensi Theologiæ Doctore, singulariter inter omnes Doctores Catholicos, (pæce omnium salvâ) idoneum & securissimum ad illuminandum intellectum & ad inflammandum affectum, judicat; Magistri quæ-*



stionem, an scilicet mali in inferno peccaturi sint, in tres secat partes: *Primò*, inquit, *quæritur*, utrum damnati velint se peccasse? *Secundò*, utrum voluntate deliberativâ damnati malint non esse, quam esse se? *Tertid*, utrum damnati mallent omnes esse damnatos, quam quosdam beatos? Ad primam autem quæstionem, quæ propriè hujus est loci, ita respondet: *Dicendum*, quod mala voluntas dicitur dupliciter, ut actus & habitus. Dico ergo, quod timor servilis damnatis non aufert habitum voluntatis, sed aufert actum. Iste enim non vult luxuriari, quia timet puniri de ipsâ voluntate. Tamen habitum non aufert: quod patet, quia si separaretur impunitas, vellet utique luxuriari. Sic intelligendum est in damnatis, quod dolor pœnalis aufert ab ipsorum voluntate actum volendi peccare, quod revera damnati non appetunt luxuriari nec dominari propter pœnas, quas ex illis actibus sentiunt se incurrisse. Habent tamen habitum voluntatis male, per quam appetent peccare, si non crederent se puniri. Si ergo quæras, utrum damnati nolint peccasse, dico, quod nolunt non propter hoc, quod peccatum eis displiceat, quasi injustum, sed quod eis displicet pœna justa. Et idèd malam habent voluntatem, hoc volendo. Et idèd adhuc vivit in eis voluntas peccandi, licet dolore pœnarum impediatur, ne exeat in actum suum. Vides hic clarissimè expositam esse Augustini sententiam & cum libro de Fide ad Petrum Diaconum conciliatam, quam conciliationem luculentioribus verbis innuimus, supra, §. IV.

XVI. Albertus Magnus, ordinis Prædicatorum, qui teste Platinâ, sub Urbano IV. tantæ modestiæ fuerat, adeoque lectionum appetentissimus, ut Ratisbonensem Episcopatum abnuerit, quem tumultu & armis gubernari interdum opus erat, ut nunc etiam apud Germanos mos est: quæstionem Sententiarum in terminis tractat, negatque, damnatos, quibus & dæmones accenset, peccaturos esse. Cujus argumenta in utramque partem adducta suo loco expendemus.

XVII. Progrediamur nunc ad duarum in Scholâ familiarum Principes, Thomam & Scotum, quorum ille Bonaventuræ *discipulus*, & Alberti M. discipulus, spreitis, quæ ei offerebantur, dignitatibus, cum è Comitibus Apuliæ duxisset originem, totum se studiis dedit, cathedramque Parisiensem & Coloniensem primarias exornavit, à Johanne XXIII. P. quinquagesimo, postquam è vivis excesserat, anno inter Sanctos relatus; de quo Angelico Doctore, (is enim ob ingenii acumen ei apud suos titulus est) sic judicat Franc.

Bar-



Bartholomæus de Spina, Præfat. in secundam secundæ: Cujus sapientiam Christus per se approbat, Beatissima virgo collaudat, Petrus & Paulus edocent & commendant, (miracula loquitur) Universitas Parisina miris effert præconiis, summus Antistes Urbanus sectandam proponit & amplectendam præcipit, quis non vereatur, amplectetur, extollat? Is igitur quamquam propositum à Magistro dubium in plurimas quæstiones distinguat, prima tamen & quinta propriè huc spectant, Part. III. Summ. Theol. Add. Qu. XCIIIX. in quibus Magistri vestigiis non ita præse insistit. In Concl. ad art. 1. ubi quæritur, an damnatorum voluntas sit mala? Respondet: Dicendum, quod in damnatis potest duplex voluntas considerari, scilicet voluntas deliberativa & voluntas naturalis. Naturalis quidem non est eis ex ipsis, sed ex actione nature, que in natura à hanc inclinationem posuit, que naturalis voluntas dicitur: unde, cum natura in eis remaneat, secundum hoc bona poterit esse in eis voluntas naturalis. Sed voluntas deliberativa est eis ex seipsis, secundum quod in potestate est eorum inclinari per affectum ad hoc vel illud: & talis est in eis voluntas solum mala; & hoc idè, quia sunt perfectè aversi à fine ultimo recte voluntatis, nec aliqua voluntas potest esse bona, nisi per ordinem ad finem prædictum. Unde etiam, etsi aliquid bonum volunt, non tamen bene volunt illud, ut ex hoc voluntas eorum bona dici possit. Articulo V. ubi quæritur: Utrum damnati odio habeant Deum? concludit: Dicendum, quod affectus movetur ex bono vel malo apprehenso. Deus autem apprehenditur dupliciter, in se, sicut à beatis, qui eum per essentiam vident, & per effectus, sicut à nobis & damnatis. Ipse igitur in seipso cum sit per essentiam bonitas, non potest alicui voluntati displicere. Unde quicumque eum per essentiam vident, eum odio habere non possunt: Sed effectus ejus aliqui sunt voluntati repugnantes, in quantum contrariantur alicui, & secundum hoc aliquis non in seipso, sed ratione effectuum Deum odire potest. Damnati ergo Deum percipientes in effectu justitiæ, qui est pœna, eum odio habent, sicut & pœnas, quas sustinent. Sed verò neque illa deliberata in malum voluntas, neque hoc odium Dei peccatum est Aquinatis meritorium: Nam sicut bona voluntas in beatis non erit meritum, sed premium: ita mala voluntas non erit in damnatis demeritum sed pœna tantum, dicente Thomâ, Concl. ad Art. VI. & Resp. ad III. Necessitas peccandi excusat à culpâ, in quantum est necessitas quadam, quia omne peccatum oportet esse voluntarium. Cæterum quæstionem, an peccata actualia à damnatis perpetrentur, non discussit. In Quodlibeta-



libus tamen Quæstionibus, Quodl. III. artic. XXIV. odium & blasphemiam Dei damnati tribuit. Nam ad quæstionem, utrum damnati gaudeant de pœnis inimicorum suorum, inter alia respondet, *Dicendum, quod pœna inimici considerata ab eo, qui est in inferno, habet quodammodo rationem delectabilis, & quodammodo rationem tristabilis. Rationem quidem delectabilis habet, in quantum impletur voluntas damnati de malo inimici sui. Sed ex aliâ parte habet rationem tristabilis propter duo. Primum quidem, in quantum in pœnâ inimici impletur divina justitia, quam odium & blasphemant damnati in inferno, secundum illud Apocalypf. 16. Æstuaverunt homines æstu magno & blasphemaverunt nomen Domini. Secundo propter vermem conscientia.*

XVIII. Subjungemus Thomæ unicum five sectatorem sive interpretem. Is est Petrus de Palude, ordinis Prædicatorum, Patriarcha quondam Hierosolymitanus, quem Fr. Paulus Soncinas, qui eum primum edidit Venetiis, A. D. M. CCCC. LXXXV. hoc encomio prosequitur: *Fuit Petrus vir sacris nostris initiatus, bonarum quoque artium consummatissimus quidam Præceptor ac illustrator, usque aded, ut nulli hominum ætatis suæ aut magnitudine animi, aut scientiarum copiâ, aut humanarum rerum usu atque consilio, aut ullo virtutis genere inferior unquam habitus sit. Quinimò solum Thomam huic Petro præfert: Nolim autem eum, ait, prætulisse Thomæ, quem Thomas numen quoddam in terris fuit, cui latini omnes ac græci & barbari auctores cedant: sed ingenuè illud fateor, nullius cujuscumque alterius editionem his Petri commentariis, aut multitudine quæstionum, aut sententiarum copiâ, aut proprietate sermonis æquari vel comparari posse. Hic tantus vir, cum multitudine quæstionum abundare dicatur Soncinati, in ultimâ tamen distinctione magis, quam cæteri omnes, deficit, & quæstionem de damnatorum obstinatione vix paucis ex Thomâ verbis decidit: Tertia, inquit, quæstio est de obstinatione, quod mittentur in tenebras, non solum exteriores, sed interiores. Obscuratum est insipiens cor eorum. Non possunt enim bonum benè velè, sed omnis voluntas eorum deliberativa est mala.*

XIX. Thomæ Aquinati integro post mortem ejus seculo perpetuus surrexit adversarius, Johannes Duns, Scotus, dictus quidem à suis solenni encomio *Doctor subtilissimus*, qui tamen subtilitate suâ adedè obscurè haud rarò philosophatur, ut nec discipuli ejus, quid magister vel ipsi velint, explicare se satis queant. Hic ille



Ille est, quem ad nomen alludens intelligit Barptolomæus de Spina, cum in laudatione Thomæ inter alia: *Non mirum, inquit, si splendori huic tenebræ se opponant ac eundem impugnare contendant. Humana quippe conditio infelicitati non modicum est obnoxia ex primâ corruptione peccati. Quo sanè factum est, ut semper veritas & iidem bonitas paucos habuerint possessores. Isthanc caliginem & ultimæ Magistri Distinctioni, de statu damnatorum, affundit, eandemque in quæstionibus implicat, resolvit. Quid de peccatis damnatorum senserit, difficile est, penetrare mentem ejus, sicut ex iis, quæ nunc allegebimus, constabit. In Decif. sec. art. dist. L. profitetur: post odium Dei, quod est primum & maximum peccatum, velle se non esse, esse secundum peccatum. In Resolut. Qu. II. Dico, quod damnati sunt obstinati & perversi ad utrumque actum. Et licet displiceat eis culpa, in quantum vermis, (conscientiæ) non tamen, in quantum culpa; præcipuè demonum, qui semper Deo invident. Psalmista: superbia eorum, qui te odierunt, semper ascendit. Ibidem: Respondeo igitur, quod propter culpam fugiendam non credo, quod damnati appetant non esse, licet debeant appetere. Nec credo, quod sint adeò mali, quin habeant aliquem bonum actum, licet non acceptum Deo. Dubitat subtilitatis Doctor, qui paulò post, ad quæstionem: an pœna ignis inæqualis sit vel in se, vel quia fortius & inæqualiter affliget, immutando sensum & appetitum? feralem ignorantiam profitetur: nescio, ajens, expectetis, quousque expiamini. Ad quem locum manus Monachi cujusdam, in exemplari Bibliothecæ illustris Gymnasii nostri, Præceptoris illudens, adscripsit in margine: Tunc est neglectum, Scote.*

XX. Petrus de Aquilâ, ordinis Minorum, sectator nobilissimarum subtilitatum Scoti, à Præceptore non discedit: Dico, inquit, quod damnati sunt obstinati & perversi, quantum ad malum culpæ & quantum ad malum pœnæ, & idèd, quantumcumque displiceat eis malum culpæ, in quantum vermis eorum non moritur, non tamen, in quantum culpa, præcipuè demonum, qui Deo semper invident. Hæc ille, dist. L. sub fin.

XXI. Adjiciemus ex Scholâ unicum adhuc, Thomam de Argentina, acutissimum, (hice ei præfigitur in fronte Libri titulus) materiæ Theologicalium Resolutorem. Is omnium fusissimè Distinctionem Quinquagesimam Quarti sententiarum Libri exponit,



propositis novis prorsus & insolitis eam in rem quaestionibus, quarum tamen nulla directè exhibet argumentum nostrum. Sed verò ex disputationibus ejus subinde apparet, quamnam foverit animo de isthac materia sententiam. Quaestione Primâ concedit, damnatos cognoscere aliquas substantias separatas, non tamen inde esse habitum sapientiae perfectos, sed maculis suorum peccatorum infectos; & demones habere omnium naturalium saltem notitiam habituales & ab actuali consideratione impediri ratione sua intensissima pena. Lestione secundâ per aliquot Quaestiones contra Magistrum Petrum de Croso, gratiâ disputationis & cum intentione proficiendi, cum tanto magistro, quem DEUS intellectuâ claritate eximie decoraverit, ut in omnibus suis actibus evidentius elucescat, disquirit, fieri posse, de absolutâ Dei potentiâ, ut aliquis homo sit beatus in suo intellectu per apertam visionem divinae essentiae, non obstante, quod sit damnatus in suâ voluntate & actualiter DEUM odiat; quinimò, in voluntate damnati hominis DEUM posse de absolutâ suâ potentiâ causare tantam delectationem, quanta est in beatâ fruitione, non obstante, quod in illâ voluntate permaneat perfectum & actuale Dei odium. Haec, quamquam exercitii causâ contra reverendum socium propugnet, agnoscit tamen, Richardi, (vixit hic sec. XII. ætate Hugonis de S. Victore, quem inter Ecclesiasticos scriptores, cum in manibus nostris ejus libri non essent, supra omisimus) verba: *Quamvis nimirum impij in inferno positi se sentiant justè puniri, dolebunt tamen, quod DEUS tantam habeat potentiam & pro nimietate doloris justo judici inferent blasphemiam: loqui de damnatis, ut pro nunc se habent damnati, non autem de damnatis, ut per absolutam Dei potentiam se possent habere.* In primis in Tertiâ Conclusionem contra Petrum apertissimè mentem suam prodit, quando ad argumentum, quo Thesis ipsius: quod non sit impossibile, nec implicet contradictionem, DEUM assumere naturam damnati hominis, ipsâ manente damnatâ, ad unitatem divini suppositi; hac ratione impetebatur: *Illud est simpliciter impossibile, quo posito in esse sequitur simpliciter impossibile. At posita hac assumptione, sequitur, quod damnati blasphemant DEUM & odium ipsum; igitur si DEUS assumeret naturam damnati hominis, ipsâ manente damnatâ, tunc propter communicationem idiomatum DEUS blasphemaret DEUM & DEUS odiret DEUM, hoc autem simpliciter est impossibile; Item: Divinae justitiae & dignitati repugnat, superbum, cujus superbia semper ascendit & blasphemum, cujus malitia semper accrescit, ad summum honorem assumere:* ita



ita respondet: Dicendum, quod licet aliqui damnati blasphemant DEUM, tamen multi sunt damnati, qui non blasphemant DEUM. Sic patet in omnibus illis, qui decedunt in solo originali peccato, qui quamvis non patiantur poenam sensus, tamen aliter sunt damnati, quod patiuntur perpetuam poenam damni. Etiam illi, qui decedunt in actuali mortali peccato & patiuntur poenam sensus & damni, quamvis sibi ipsis derelicti blasphemant DEUM & odiant ipsum DEUM, tamen DEUS, quandocumque sibi placuerit, potest in ipsis suspendere omnem actum odij & blasphemiae & omnis alterius indecentiae. Si igitur Deus assumeret aliquam naturam damnatam, tunc huiusmodi natura non posset elicere aliquem actum indecentiae; quod DEUS suspenderet talem naturam assumptam ab executione cuiuslibet actus illiciti, in quantum aliquo modo cederet ad irreverentiam Dei. Ad instantiam Petri: quod magna pars damnationis ipsius damnati consistat in eius perversa voluntate, quae odit & blasphemat DEUM; respondet, distinguendo inter damnationem essentialem & accidentalem & odium atque blasphemiam DEI huic adnumerat dicendo: Essentialis damnatio consistit in duplici poena, sensus & damni. Poena sensus principaliter consistit in afflictione ignis infernalis. Sed poena damni consistit in carentia visionis Divinae essentiae, ac in carentia fruitionis divinae bonitatis. Et ideò dato, quod aliquis damnatus non odiret DEUM, adhuc posset pati damnationem essentialem, quod ad talem poenam seu damnationem sufficit ignis infernalis cum divina visionis ac fruitionis carentia. Hæc Thomas ille, Prior Generalis ordinis fratrum Heremitarum S. Augustini, de quo Martinus Flach, qui Argentoratium edidit A.M. CCCC. XC. ita canit:

*In te nunc reno collata est gloria major,  
 Alsatia & proprio gaudet honore tuo.  
 In te quam valeat germana industria gentis,  
 Sentiet Hispanus, Gallus & ipse Schotus.  
 Per te nunc summis nostra Argentina refulget  
 Laudibus, hoc nato reddita clara suo.*

XXII. Apparet ex iis, quæ hætenus adduximus, quicquid in cœno Scholastico de præsentī argumento disputatum fuit, originem suam debere Augustini verbis: *Beatis voluntas, damnatis facultas non poterit ulla esse peccandi*; quorum tamen interpretatio plerisque ad quæstiones à mente Augustini & primi sententiarum col-



collectoris alienas, & quod dolendum est, spinosas atque inutilis, quales otiosis Monachorum speculationibus conveniebant, dilabendi occasionem dederit. Ea tamen, quæ nos ex magnâ Commentariorum mole excerptimus, insigne nobis subinde in hac materiâ præstabunt emolumentum.

XXIII. Post salutarem Ecclesiæ Reformationem ex fundamento S. Literarum in utramque partem, tanquam de re, fidem non concernente, à Theologis disputatum est. De Lutheri sententiâ, quantum ego scio, haud indubiè constat. Maximam infernalium pœnarum partem terrores conscientiæ esse, sæpius asseruit, quod ab adversariis in calumniam tractum est. In Expositione cap. II. Jon. Tom. Jen. III. p. 212. b. ita loquitur: *Wann die Teuffel in der Höllen wären/so könnte es nicht seyn/das sie die Welt regieren/und so viel Überey und Jammer trieben/die Pein würde ihnen wol wehren.*

XXIV. In cæterorum sententiis recensendis ætatis rationem habebimus. Petrus Canisius, è Soc. Jesu Theologus, qui opus Catecheticum scripsit Friburgi Helvetiorum, A. O. R. M. D. LXXXV. de Quatuor Noviss. Qu. IV. §. 77. cum Innocentio III. utrumque approbat: *Damnati blasphemant DEUM; &: Habent voluntatem peccandi, potestatem non item.* Gregorius de Valentia, Metimnensis, ex eadem Societate, Ingolstadiensis Professor, Commentarior. Theol. Tom. I. Disp. IV. Q. XV. Punct. II. quærit: *quæ sit dæmonum conditio, quoad voluntatem?* & inter alia responderet: *Secundo, certum est, demones & omnes alios damnatos, ita quoque obstinatos esse in malo, ut continenter exercent actum quendam malum impatientia & acerbissimi odii Dei, nec possint ab eo, moraliter loquendo, cessare.* Id quod deinde S. Literarum & consensus Ecclesiastici auctoritate confirmat.

XXV. Zacharias Schilterus & Burchardus Harbardus, Theologiæ in Academia Lipsiensi Professores, capita pura & incorrupta doctrinæ Christianæ primaria, ex immotis & perspicuis S. Scripturæ fundamentis extracta, ediderunt Ann. M. D. XCVIII. In Disp. de Morte æternâ §. XVI. profitentur, eandem complecti oppositam beneficii salvatorum extremam naturæ humanæ malitiam, caliginem scilicet mentis & tenebras densissimas, à πικρία, sensum iræ Dei adversus peccata acer-



rum, morsus & terrores conscientia sevisimos, indignationem & fremitum adversus DEUM perpetuum: & vermem mordentem §. XXII. ajunt esse symbolum horribilium poenarum & dolorum, seu morsuum mala conscientia, implacabilis odij, item indignationis, murmuris & fremitus adversus DEUM, ortorum à fulmine sententiae judicis damnatoriae tristissimo, quibuscum conjuncta sit futura suiipsius detestatio & execratio & votum τὸ ἀνοργήσιον seu subite redactionis in nihilum, aut oppressionis collium & montium, sed irritum & inane. In eundem modum stridorem dentium interpretatur Frider. Balduinus, Academ. Witteb. quondam Prof. cum in Comment. in II. Theff. I. 8. 9. Qu. V. ita scribit: Tertia infernalis poena est stridor dentium, quem Hieronymus in caput XX. Ijobi de rigore frigoris intelligit, quia forte in ipsa gehennâ talis sensuum cruciatus fiet his, qui in eâ torquebuntur, ait, ut nunc quasi ignem ardentem sentiant, nunc nimium algoris incendium, & poenalis commutatio, nunc frigus sentientibus, nunc calorem faciet, sic, ut de loco in locum transire videantur. Rectius autem fortè censendum est, stridorem istum oriturum partim ex iracundia rabie, quâ fremunt adversus DEUM, ejusque sanctos; partim ex seriâ contritione delictorum, quae eos illuc conjecerunt, partim etiam ob memoriam bonorum amissorum, ut placet Dominico à Soto in Dist. L. Q. un. Art. IV.

XXVI. Hugo Sanfordus, Coomflorius Anglus, Anno Domini M DC. diffusum pariter atque eruditum tractatum scribere exorsus est de Descensu Domini nostri JESU Christi ad inferos, quem morte præventus, non absolvit, complevit tamen ex scriniis ejus & edidit Robertus Parkerus. Is omnium prolixissimè contra sententiam, damnatos peccare ajentem, disputat, suamque lib. III. §. 96. p. 174. ita exponit: Argumentum adversariorum sextum ita instituitur: poena infernalis cum peccato conjuncta est, cum desperatione, cum blasphemiâ, cum peccati omnimoda plenitudine. Ergo Christus eam non pertulit. At recepta sapientum opinio est, in inferno non peccari, quæ & certissimâ ratione nititur. Productis deinde in medium argumentis; Quid igitur? inquit. Peccatum in inferno statuere non possumus, nisi illam de poenarum mitigatione anilem stultitiam revocemus, de quâ Augustinus. Poenas damnatorum certis temporum intervallis existiment, si hoc iis placet, aliquatenus mitigari: etiam sic quippe intelligi potest, in iis manere ira DE I, hoc est ipsa damnatio.



XXVII. Immortale nomen, D. Jo. Gerhardus, in Loc. Theol. Tom. ult. de Inferno, §. 76. quærit: *An damnatorum actiones omnes sint male?* & respondet: *Passiones damnatorum moraliter bona erunt, quia à justitiâ & voluntate Divinâ, omnis bonitatis regulâ, progrediuntur, quamvis physicè & naturaliter damnatis sint male, id est, adverse & inimicæ. Actiones verò damnatorum omnes erunt malæ. Tenebras, in quas damnati conjicientur §. 44. dicit complecti, perversitatem voluntatis, projectam impietatem, unde peccata dicantur opera tenebrarum, Eph. V. 11. In Harmoniâ Evangelicâ c. CLXII. p. 808. fletum damnatorum ita exponit: *stebunt damnati, non ex salutaris penitentiâ, sed ex horribili impatientiâ, per stridorem dentium denotatâ.* Cyprianus ad Demetrium: *Erit tunc sine fructu penitentiæ dolor pæna, inanis ploratio & inefficax deprecatio.**

XXIIX. Joannes Maccovius, Loc. Comm. cap. XLI, §. IV. p. 397. hanc format thesin: *Diaboli omnes post & propter peccatum in peccatis & odio DEI & nostri obstinatam habent voluntatem, adeò, ut se voluntas eorum immutabiliter habeat ad malum.* De Dæmonibus loquitur, sed à quibus facilis est ad damnatos consequentia, sicut suo loco ostendetur. Gisbertus Voëtius, in Acad. Ultrajectinâ Professor, Parte primâ selectarum Disputationum, de Naturâ & operationibus dæmonum, Parte posteriori, §. 24. p. 977. hæc ponit: *De gradibus pænarum observandum est, esse pænam eorum usque ad diem judicii infernalem eandem specie cum eâ, quam post judicium perpessuri sunt, gradu tamen ab eâ distinctam. Consequentia sunt dolor, desperatio, invidentia, odium, blasphemia; de quibus Scholastici. Inter propria autem Diaboli recensuerat, parte priorè §. II. ratione voluntatis. 1. Quod voluntas sit mala & corrupta habitualiter. 2. Quod quando operatur, nil nisi malum operetur. 3. Quod non possit operari bonum, nec rursus bona fieri atque adeò sit immobiliter fixa & obdurata in malo. 4. Quod etiamnum crescat ejus malitia. . . . . 6. Quod eadem malitia comparata cum humana extensivè sit maxima; extendit enim se ad quævis peccata. Sane igitur ista in Diabolo formaliter, superbia, invidia, quibus addimus blasphemiam, idololatricam, præsumptionem, que opponitur spei, infidelitatem, non quidem per positivum dissensum, sed per privationem assensus, speciale peccatum inobedientiæ, mendacium & calumniam, injustitiam, odium adversus DEUM, angelos, homines, & in ordine ad homines adversus alias Dei creaturas.*



XXIX. Georgius Calixtus, Professor quondam Julius, Tra-  
 ctatu de Bono perfectè summo, p. 46. l. De statu intellectus, ait, judi-  
 cari potest de statu voluntatis damnatorum. DEum enim, quoniam ex esse-  
 ctu acerbissime pœne, tanquam iratum & vindicem concipiunt, tantum abest,  
 eos amare, ut potius odio habeant & averfentur. Beatis quoque gloriam suam  
 invident & propter obstinationem perverse voluntatis, mallent omnes ea-  
 dem secum damnatione involvi, quam aliquos salvari. Post pauca: Pro-  
 pter acerbiter itaque pœnarum erit in voluntate hominis damnati odium  
 DEI, odium suiipsius & facinorum suorum, invidia, tristitia, impatientia, &  
 denique, quoniam novit, nullam spem liberationis superesse, desperatio, ut vo-  
 luntate deliberatâ, non tam rectum quam erroneum iudicium secutâ, malint  
 non esse, quam sic esse. Denique luculentius: Quoniam autem in vitâ  
 amplius non sunt, sed in ultimo termino, ut conditionem suam neque meliorem  
 neque deteriorem facere possint: inde emergit dubitatio, num perversâ istâ  
 suâ & à Deo aversâ voluntate propriè loquendo peccent? Sanè quum lex de  
 DEO amando & ne vel ipse vel proximus odio habeatur, æterna sit, nec obli-  
 gare unquam desinat, quicquid à voluntate sive in hac vitâ sive in alterâ con-  
 trarium committitur, peccatum est. Quod tamen in alterâ committitur, ita  
 peccatum est, ut pœnam non augeat. Sic enim in ultimo termino non essent.  
 Nempe quemadmodum amor ille maximus & rectissima voluntas beatorum,  
 non est meritum sive medium, quo amplior gloria acquiratur, sed premium:  
 ita quoque odium & perversissima voluntas damnatorum non est meritum  
 acrioris & ulterioris pœne, sed ipsa sibi est supplicium.

XXX. Dionysius Petavius, Aurelianensis, doctissimus Jesui-  
 ta Gallus, qui dogmatum Theologicorum Tomos scripsit, Anno  
 M DC XLIV. Tom. III. Lib. III. de Angelis, cap. IV. disputat ex  
 antiquorum sententiâ, Angelos malos, quamquam aliquid pœna-  
 rum infernalium hodie patiantur, nondum tamen summum ex-  
 tremumque earundem, etiam quod essentialem pœnam attinet,  
 sustinere, cui & injurias DEO illatas adnumerat: Falluntur, inquit,  
 qui quod post iudicium demones, æterno inclusi carcere, nullam amplius ultrò  
 citroque discurrendi potestatem habebunt, neque tentare homines poterunt, aut  
 eorum damnis novas eorum conditori injurias facere, tum quod ignominia tum  
 majore & invidia cruciabuntur: ideo Patres existimant, demones in id tem-  
 pus condemnationem pœnamque distulisse. Sed aliter judicare necesse sit eum,  
 qui in eorum dicta scriptaque intenderit animum. Profecto enim tales eis



poenas imminere censent, quæ sunt damnationis illorum præcipua, non adventitia & ut vulgò loquuntur, accidentaria.

XXXI. Gottfridus Cundisius, Academiae quondam ad Salam Doctor, in Notis ad Compendium Hutterianum hæc habet: Vermis mordens symbolum est, curarum cor exedentium, in primis sensus acerbissimi in se effusa ira Dei & adversus peccata sua irritati iudicii Divini & horribilium poenarum & dolorum, seu morsuum male conscientie, implacabilis odii, item indignationis, murmuris & fremitus adversus DEUM, ortorum à fulmine sententiae damnatoria tristissimo, quibuscum conjuncta est futura sui-ipsius detestatio & execratio & votum *in æternam* seu subita reductionis in nihilum, sed irritum & inane. Pleraque ex Harbardo, quem supra §. XXV. allegavimus. Georgius Albrecht, facundissimus quondam Nerolingenfium Ecclesiastes & Superintendentens, in Concionibus, quibus statum infernalem cœtui suo explicuit, eandem tueretur & defendit sententiam. Sermone XXVII. Livorem & invidiam, adversus semet, ob impoenitentiam, adversus salvatos, ob gloriam, adversus poenarum socios, ob gradus differentiam: Sermone XXIX. *invidiam* & blasphemiam, contra DEUM triumum, contra res creatas, Parentes, Præceptores, proximum, seipsos, propriaque membra, damnatis asserit. Denique Sermone XXXIV. inter alias causas, cur justum sit, peccata temporalia aeternum puniri, & hanc: quia interminabile peccatum interminabili poenâ coerceri conveniat, recenset.

XXXII. D. Jo. Georg. Dorfscheus & D. Jo. Conr. Dannhae-  
rus, par Theologorum Argentoratensium celeberrimum, libertatem hic sentiendi, quod quisque veritati convenientius judicat, permittunt, quamquam hic in sententiam, non peccare damnatos, ille in contrariam propendat. Nam in Synopsi Theolog. Zachar. cap. IX. §. 197. cum hanc quæstionem attigisset & pro negante argumenta, maximam partem ex Parkero, quem allegat, protulisset, concludit: Nihil hic de eâ re pronunciamus, remittimus lectionem ad Doctorem Nostrum Gerhardum contrarium asserentem. Hic verò in Hodosophiâ, Phæn. IV. p. 258. Videtur, ait, probabilius & ad gloriam Divinam justius, (quamquam hic iudicium modeste submittamus) fore blasphemiarum & peccatorum contra DEUM, cujus *parædoxum* cum hoc mundo finitur, modum ac terminum. Quod in Lactis Catechetici eâ parte, quæ



quæ de tertio Symboli Apostolici articulo agit, iisdem ferè verbis repetiit.

XXXIII. Addimus ex Academiâ Salanâ excellentissimæ eruditionis Virum, Johannem Musæum, qui in Locis Theol. ad calamum pro lectione dictatis, ubi de pœnis infernalibus agit, sententiam suam his verbis promit: *Ex parte voluntatis importat damnatio æterna, privativè considerata, carentiam amoris DEI & gaudii, quod in DEO habere deberent. Sicut enim DELM damnati non cognoscunt, tanquam suum bonum, qualis in se est, sed tanquam judicem & scelerum vindicem severissimum: ideo nec amabunt DEUM, nec in ipso gaudebunt, sed potius odio ipsum habebunt maximo. Sicut enim pœnas, quas infliget damnatis, detestabuntur: ita quoque ipsum DELM infligentem odio habebunt.* Et ex Eberhardinâ ad Nicrum virum accuratissimi iudicii, Jo. Adamum Osiandrum, qui in Collegio, præcipuas fidei controversias complectente, art. XXI. §. 3. hanc format thesin: *Non probabile est, damnatos in inferno semper peccare, imprimis blasphemando.*

XXXIV. Vides, in hoc, non Pontificiorum tantum & Reformatorum, sed & Augustanæ Confessioni addictorum Theologorum, dissensu, varias, easque adversâ inter sese fronte pugnant, agitari de propositâ quæstione opiniones. Quapropter eo te minori periculo implicabis, quamcunque defenderis sententiam. Etsi ex tractatione argumetorum, huic illive parti faventium, sole meridiano clarius apparebit, quot quantaq; fidei nostræ capita, sive defensione sive oppugnatione unius alteriusq; sententiæ & argumenti, etiam à non advertentibus, convellantur. Quæ causa quoque est, cur non otiosa æstimari controversiæ hujus discussio, sed referta variis gravissimisque usibus, jure meritoque debeat.

XXXV. Nam primò, nonnulli *ἠτιχῶσι*, sententiam suspendunt, nihilque sive in agentem sive in negantem partem determinant. Quo præter eos, qui *ἠποχῶσι* profitentur, referendos omnes illos esse cenfeo, qui, dum in locis, compendiisque Theologicis, de infernalibus pœnis tractant, considerationem hujus quæstionis prætereunt, contenti generali vel certe Scripturariâ, (ut nunc ita appellem id, quod Sacræ Pandectæ expressis verbis efferunt) cruciatuum istorum delineatione. Quibus ut litem nullam movemus: ita nec nobis vitio dari posse existimamus, si inquiramus in



id, quod Divinae literae virtute saltem & potestate complectuntur. Eiusdem enim valoris esse, quae litera Scripturae & sensus per liquidissimas consequentias elicitus, enunciant, ex inductione plurimorum fidei articulorum & praxi Christi atque Apostolorum evidenter constat. Origenes ad locum illum; *nescitis Scripturas*, annotat: *Sufficit ad arguendum errorem Sadducæorum, quod nesciebant Mosaica legis Scripturas, ex eo, quod divinum sensum earum, (quem Scholastici revelationem virtualement vocant) non scrutabantur.* Tract. XXII. in Matth. p. 110.

XXXVI. Secundò, alii peccati labe infectos esse damnatos, sed habituali tantum, cuiusmodi Augustinus malam voluntatem vocat, non actuali censent. Sententiam horum luculenter expressit Bonaventura. Arbitrantur enim pœnarum atrocitate fieri, ne in actum erumpere vitiosum peccandi desiderium possit. Secundum hos neque murmurare damnati adversus DEUM, neque blasphemare iustitiam eius valebunt, sed pœnarum vinculis restricti neque explicare in sceleratos actus membra sua poterunt, neque volent etiam, ob vim cruciatuum perpetuo duraturam.

XXXVII. Tertiò: Sunt, qui ne habituale peccatum quidem in damnatis esse statuunt. Omnium clarissime, quantum mihi constat, hoc ex Sanfordo asserit Robertus Parkerus: *At peccare, iniquies, damnati possunt, etsi agere non possunt, habitu nimirum & voluntate, etsi in actum prorumpere ille habitus nequeat. Negare videtur Bonaventura, voluntatem in damnatis peccandi ullam esse.* Id quod & S. Literarum & Doctorum Ecclesiasticorum auctoritate probare annititur. Quà de re suo loco iudicabimus.

XXXIIX. Quartò: In alterum extremum præcipientes labuntur alii, qui nefanda scelera & flagitia, velut odium Dei, blasphemiam, invidiam, impatientiam, cæteraque ejus generis, damnatis non attribuunt duntaxat, sed argumentis propugnant; nihilominus tamen veri generis peccata hæc talia in damnatis esse negant. Albertus Magnus dist. L. lib. IV. art. I. probat, *damnatos homines vel animas non peccare in inferno*; Art. II. idem de dæmonibus profitetur: & tamen art. VI. rationibus disputat, *quod damnati & dæmones odiant DEUM, non quidem, quatenus DEUS absolute consideratur, sed tamen, quâ consideratur pro iustitiâ, judicante pro meritis.* Videri posset hæc



hæc eadem opinio esse cum superiore, quæ idè peccatum nullum, ne habituale quidem, in damnatis agnoscit, quia damnati non habent legem, quâ deficiente, odium & blasphemia Dei non nisi materialiter peccata erunt, ut coitus bruti parentis cum filia incestus est; nisi Parkerus damnatos, qui in patiendi non agendi loco sunt, omni actione adeo spoliaret, *ut ne cogitationem quidem ullam, hæc ejus verba sunt, concipere possint, quæ ad peccatum vergat.*

XXXIX. Quintò denique, alii peccaturos esse damnatos asseverant. Quamquam autem nonnulli opinentur, peculiariter inquirendum esse, an damnati non tantum peccent, sed in peccato quoque eoque progrediantur, ut, quod peccatorum quoddam quasi fastigium est, DEUM blasphement, ex progressu tamen disputationis nostræ apparebit, iisdem argumentis utrumque doceri, iisdemque utrumque oppugnari. Supponit autem hæc sententia, actus in damnatis vitiosos formaliter tales esse, id est, veri proprieque dicti peccati rationem habere, quod & voluntati DEI eo, in quo sunt, statum, adversum sit & iram offensamque in se DEI excitet; breviter, non alterius naturæ ab eo, quod hodie peccatum appellatur & pro tali habetur.

XL. Existimo jam, clarissimum esse, quid hic propriè quærat & quæ sint responsionum divortia? Cum verò sententiæ principales duæ sint, una ajens, altera negans, damnatos peccare, cæteræ verò ut harum quædam particulæ quasi merito reputentur, idè nunc utriusque sententiæ argumenta, veluti conflictum hostilis exercitus, in aciem producemus, ut, cui victoria adscribenda sit, sine affectu judicanti constare possit.

XLI. Pro affirmante igitur sententiâ plures militant rationes, interque eas primum haud immeritò locum occupat Sacra Scriptura, eaque veteris & novi Testamenti. Ex veteri adducitur Psalm. LXXIV. 23. quem Vulgatus Interpres ita reddidit: *Ne obliviscaris voces inimicorum tuorum: superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper.* Quamquam enim damnatorum hic nomen non exprimitur, includitur tamen inimici voce. Nam si inimici Dei quilibet Deum superbè oderunt, multò maximè damnati eundem odio habebunt, qui sunt in summo inimicitæ Divinæ gradu constituti. Et si superbia inimicorum Dei semper ascendit, ergo &  
in



in damnationis statu adscendet. Qui enim universaliter loquitur, nihil excipit. Jam verò superbia & elatio adversus DEUM & odium Dei pertinax gravissima omnium sunt peccata. Nam secundum Richardum, in libro de Spiritu blasphemiae, c. II. *Quod quisque odit, hoc improbat, vituperat & ab aliis odio haberi & vituperari desiderat*: quæ summi generis vitia sunt: Innititur præterea hæc loci Davidici interpretatio, Theologorum, id est, Ecclesiæ auctoritati. *Hoc enim*, (ita Gregor. de Valent. Tom. I. Th. Sch. d. IV. qu. XV. p. II.) *Theologi colligunt ex illo Psalmi: superbia eorum, qui te oderunt ascendit semper: quod maxime convenit in damnatos.*

XLII. Secundum ex Novo Testamento argumentum est, Apoc. XVI. 9. Locum ex Græco convenienter expressit Latinus: *Et astuaverunt homines astu magno & blasphemaverunt nomen Dei, habentis potestatem super has plagas, neque egerunt penitentiam, ut darent illi gloriam.* Attribuitur hic damnatis blasphemia nominis Divini, quod grande sine dubitatione peccatum est, directè in DEUM tendens, ejusque majestatem lædens. Et oriri isthæc blasphemia dicitur ex atrocitate & astu pœnarum, quas illi perpetiuntur: quæ ratio peculiari argumento paulo post locum præstabit. Præterea impœnitentia & gloriæ Divinæ contemptus, quæ utique in magnis peccatis computantur, iisdem impinguntur. S. Augustinus, Tom. IX. in Apocal. Hom. XII. ad verba: *Usti sunt homines ustione magnâ*, notat: *Hoc futurum est adhuc in igne gebennæ.*

XLIII. Succedunt nunc rationes ex fidei analogiâ petitiæ, quas eo ordine, quo ab Alberto Magno in Commentario super sententias adducuntur, proponemus. Tertium igitur argumentum à naturâ & formâ peccati desumptum est: *Omnis inordinatus motus nature rationalis est peccatum. Sed in inferno sunt inordinati motus animarum rationalium vel hominum. Ergo & in inferno sit peccatum.* Est hoc argumentum sine dubio inter ea, quibus peccare damnatos probatur, palmarium. Nam per Apostolicam sententiam: *si quis contra spiritum inquitur*. I. Joh. III. 4. *Omnis ea sive actio sive privatio hominis legi Divinæ subiecti, quæ à lege deviat, peccatum est.* Peccatum est non ea tantum actio, quâ DELIM contra primum legis præceptum, vel plures colendo DEOS, vel majestatem ejus quacunquæ aliâ ratione lædendo, offendo: neque ea tantum omisio, quâ



quæ contra quartum legis præceptum Parentibus meis sive revere-  
 rentiam sive auxilium necessarium denego: sed & ea mera pri-  
 vatio, quæ originalem justitiam sanctitatemque, in primævo Pa-  
 rente mihi concessam & ab eo, nullâ meâ voluntariâ culpâ deper-  
 ditam, non possideo, juxta ultimum præceptum. Quæ apud Theo-  
 logos omni controversiâ carent. Præterea, sicut natura DEI im-  
 mutabilis est, ita & æternæ perpetuæque veritatis voluntas Divi-  
 na ejusdemque lex est, tanquam speculum, in quo defecatissima  
 DEI natura exprimitur. Igitur excogitari nequit, sive ullum  
 tempus, sive status ullus, in quo eadem lex hominem non obliget  
 deviantemque à se non arguat. *Quemadmodum DEUS in nul-  
 lo statu nulloque tempore bonum velle & malum detestari non  
 potest: ita homo nullo in statu, nulloque tempore, obsequi DEO  
 præcipienti, bona agendo & mala fugiendo, non debet. Neque  
 ab obligatione hominem eximit sive obediendi impotentia, quip-  
 pe quam sibi ipse contraxit, cum sufficientes & in creatione acce-  
 perit & in reparatione ei oblatae sint obsequendi vires; sive status  
 post hanc vitam infernalis, quasi clauso, ut gratiæ, ita legis ostio,  
 nolit DEUS obligare ullâ lege eos, quos pœnis istis subjecit. Quo  
 sensu Arminianos in Aët. Syn. Def. Prim. Art. p. 202. scripsisse ex-  
 istimo: *Actus quidam mali sunt & peccaminosi, veluti ipsius Satanae, atti-  
 men non propriè augentes damnationem ipsorum, sed tantum, ut perverse ipso-  
 rum voluntati consentanei usurpantur à DEO in bonum sanctorum & malum  
 improborum. Imò in eundem censum cum actibus ferarum, brutorum & ra-  
 bidorum atque insipientium animalium vel hominum referendi sunt.* Nam  
 neque DEUS ob naturalem, quam exuere nequit, sanctitatem,  
 bonum ullo casu vel non velle, vel facere indifferens, quod in se  
 bonum est, neque non prohibere malum, quod in fetale est, aut in-  
 differentem vel etiam bonam ei induere naturam: neque etiam  
 homo converti in bestiam aut non hominem potest, quod certè fie-  
 ret, si non obstante rationali naturâ, quæ in formali ratione boni  
 malique notitiam & qualescunque vires ea patrandi, hoc est, li-  
 bertatem essentiali includit, neque ad bonum faciendum, neque  
 ad malum fugiendum teneretur. Confinxerunt equidem Scho-  
 lastici in Papatu Theologi statum quendam purorum, ut vocant,  
 naturalium, de quo, sententiam eorum dicente D. Georg. Calix-*



to, Tract. de Pecc. Orig. Th. XXII. hunc in modum disputarunt: Si DEO placuisset, conditum hominem in statu merè naturali relinquere & ad sublimiorem non evehere, sive ad consequendum supernaturalem finem mediis ejusdem generis non instruere, tum nasci cum concupiscentia ad motus & impetus rationi adversos proclivi, nullum fuisset peccatum: nullà videlicet positâ tali primæ creationis vel divinæ ordinationis lege, per quam teneretur homo ab ejusmodi concupiscentiâ esse immunis, vel dote sive justitia originali eum compescente instructus. Et ne quidem inordinata potuisset dici, si nullus fuisset ordo, juxta quem aliter, quam nativâ pronitate, ferri debuisset. Idem dicendum de ignorantia mentis & voluntatis inordinata ad bonum caducum conversione, quatenus in primo homine ad supernaturalem finem destinato, per concreata supernaturalia dona removebantur, sive corrigebantur. Horum enim carentia vitio dari vel peccatum haberi non potuisset, si homo in statu merorum naturalium relictus consequendo sublimiori fini destinatus & aptatus non fuisset. Sed ab Ecclesiâ Lutheranâ opinionis hujus falsitas ex fundamentis superioribus constanter demonstrata & fieri non posse creditum est, ut DEUS sine periculo causalitatis peccati, in DEum ipsum redundaturæ, naturam conderet rationalem, æternæ & immutabili legi: non concupisces, haud subjectam. Quæ cum ita se habeant, propositio major in argumento Alberti: *Omnis inordinatus motus natura rationalis est peccatum*, indubiæ veritatis sit, oportet. Neque etiam de Minore major dubitandi causa est. Si enim damnati intellectu & voluntate moventur, sicut moveri nemo dubitat, qui tristari eos, qui frendere, qui lacrymari, qui truncos & lapides non esse, novit, tum aut ordinatè aut inordinatè movebuntur. Nunc autem ordinatè moveri damnatos, quos & pœnarum atrocitas & intellectus atque voluntatis, ex intuitu & sensu tantorum cruciatuum nata, confusio & pertinax quondam in malo factus animus, in perpetuas rapit desperationes & ab omni ordine excludit, impossibile est, sicut ex cœteris, quæ dicemus, amplius apparebit. Igitur inordinatè eos moveri, necesse est.

XLIV. Quartum argumentum ab obstinatione voluntatis damnatæ deductum his verbis ab Alberto proponitur: *Quanto magis est obstinata voluntas, tanto magis peccat in vitâ istâ. Ergo obstinatio non minuit peccatum, sed auget. Sed damnatus à non damnato, quantum ad potentiam peccandi non differt, nisi in obstinatâ voluntate. Ergo plus peccat*

da



*damnatus, quam non damnatus.* Afferuerat nempe Augustinus, vel iudicio aliorum, Fulgentius, quem §. IV. allegavimus, nullam fore in damnatis voluntatis correctionem: *Voluntas enim eorum talis erit, ut habeant in se semper malignitatis supplicium, nunquam tamen percipere possint bonitatis affectum;* idque probaverat ab oppositione ad salvatos, quorum sicut pertinax in bono voluntas futura est, ad eorundem salutem, ita obstinatam in malo damnatorum voluntatem esse oportebit, ad eorundem perniciem. Quam argumentandi rationem legitimam esse, paulò post ostensuri sumus. Sed & isthoc modo damnatae voluntatis pervicacia doceri potest: si damnati in inferno in malo non sunt obstinati, id vel inde est, quod, antequam hinc discederent, obstinati in malo non fuerunt, (quod falsum esse, ex se patet, cum in peccatis ad finem usque vitae perseveraverint, & hoc ipso, quod in peccatis decesserunt, damnati sint) vel, quod malitiam ipsi exuerint, vel quod à superiori Dei potentiâ eâdem fuerint spoliati. Jam verò si malitiam deposuissent, non aliâ de causâ factum id esse potuisset, quam quod sperassent, isthac emendatione & poenitentia poenarum se vel mitigationem vel terminum acquisituros esse. At verò contrarium & hac in vitâ, immotis ducti fundamentis, perpetuò crediderunt & in inferno experientia quotidie edocentur. Cum igitur omnis motus & quælibet actio sit propter finem, deficiente fine non poterunt damnati de statu peccati ex se moveri & emendationi studere. Quinimò, cum poenarum acerbitate perpetuò irritentur, vel hinc solatium quoddam & recreationem sibi quaerent, quod injuriis blasphemisque DEUM impetentes adversus tanta mala sese, quantum in ipsis est, vindicaturi sunt. Denique DEUM ex justo iudicio facultate peccandi damnatos spoliaturum esse, non potest idoneis argumentis doceri. Quam in rem inquirendi postea nobis exhibebitur occasio. Utitur hoc ab obstinatione ducto argumento, primarius Ecclesiae nostrae Doctor, Gerhardus: *pravitas voluntatis, inquit, Loco de Inf. §. 76. in qua & cum qua suere mortui, immobiliter ac immutabiliter in perpetuum eis adhaerebit.*

XLV. Quintum apud Albertum argumentum ex principio malarum actionum deductum, his verbis formatur: *DEUS non creavit damnatos ad malum, nec etiam natura. Ergo nec ex DEO, nec ex*



naturâ, sed ex libertate procedit inordinatus actus eorum. Ergo videtur, quod ita peccent sicut non damnati. Concludit hoc argumentum non pro peccato tantum in damnatis originali seu habituali, quod formaliter involuntarium est & rationem tamen peccati propriissimè dicti habet, sed cum primis pro eo, quod voluntariè & actualiter committitur. Nam si in damnatis dantur motus legi & ordini Divinitus constituto repugnantes, sicut dari evictum est, tum illi aut originem habebunt à DEO, aut à naturâ, aut à voluntate. Non autem proveniunt illi motus à Deo; is enim ordinis auctor est & legislator, qui contra ordinem non faciet neque motus in creaturâ intelligente, quam legi subjecit, legi adversantes creabit. Neq; etiam ex naturâ oriuntur; hæc enim à Deo creata est & hoc ipso, in quantum talis est, in vitiosos actus & *irrazia* tam propendere nequit, quam non potest naturæ conditor, DEUS: quia secundum Philosophum: *quicquid est causa cause, id etiam est causa causati*. Ergo procedent à voluntate. Jam autem omnis motus secundus voluntatis seu voluntarius, à Divinâ lege declinans, est peccatum actuale.

XLVI. Sextum ex Alberto argumentum à voluntariâ status peccaminosi acquisitione procedit: *Si aliquis sibi necessitatem facit peccandi per illicitum actum, in secundo actu non excusatur, sed duplices meretur maledictiones. Sed hoc modo necessitatem sibi procuraverunt damnati. Ergo ex obstinatione non excusantur, sed duplices merentur maledictiones*. Dirigitur hoc argumentum contra eos, qui, quæcunque à damnatis flagitia patrantur, peccata tamen idèd esse negant, quia non voluntarie sed necessariò peccant. Innuitur autem in hoc discursu, voluntarium aliquid dici dupliciter, vel in se vel in radice; ad id autem, ut peccatum aliquid dicatur, non requiri necessariò, ut in se sit voluntarium, id est, à voluntate immediatè & formaliter eliciatur, sed sufficere, ut ex radice seu causâ sit voluntariâ. Sicut, qui sibi ipsi voluntariè insaniam contraxit, à peccatis, quæ insaniam immutabiliter & necessario comitantur, nequaquam excusatur. Si igitur damnati statum, immutabiliter DEUM blasphemandi & odio prosequendi, voluntaria sibi malitiâ attraxerunt, sequitur, quod ipsa blasphemia & odium DEI in illo statu, non

ob-



obstante peccandi necessitate, sint veri nominis peccata. Atque verum est prius ex dictis. Ergo & posterius.

XLVII. Sequitur septimum apud Albertum argumentum, quod sumitur ex comparatione status infernalis cum statu hujus vitæ: *Non debet melior esse status damnati, quam non damnati, sed si non possent peccare, melior esset status ille, quam iste, in quo peccare possunt. Ergo videtur, quod peccare possunt.* Ut vis hujus argumenti magis appareat, notandum est, miseriam hominis, sicut oppositum miserias bonum, dupliciter posse considerari, primo, in quantum homo animal est & corpus habet, deinde in quantum rationalis est & animâ gaudet. Quicquid pœnarum malique homini contingit, ut corpus, corporisque membra, animam etiam, secundum eam partem, quâ vegetans & sentiens est, adficiat, id omne malum est, non propriè humanum, sed quod homo cum bestiis brutisq; commune habet. Quodcunque verò potentias animæ rationalis, utpote intelligentem & volentem, quæ homini propriæ sunt, corrumpit & destruit, id demum humanum propriè malum & miseria hominis, ut homo est, appellari potest. De bono hominis Seneca egregiè, Ep. LXXVI. *Omnia suo bono constant. Vitem fertilitas commendat, sapor vinum, velocitas cervum. Quare fortia dorso jumenta sint, quæris? quia eorum hic unus est usus, sarcinam ferre. In cane sagacitas prima est, si investigare debet feras, cursus, si consequi, audacia, si mordere & invadere. Id in quoquo optimum est, cui nascitur, quo censetur. In homine optimum quid est? ratio. Hac antecedit animalia, deos sequitur. Ratio ergo perfecta proprium hominis bonum est, cætera illi cum animalibus satisque communia sunt. Valet? & leones. Formosus est? & pavones. Velox est? & equi: non dico, in his omnibus vincitur. Non quæro, quid in se maximum habeat, sed quid suum. Corpus habet? & arbores. Habet impetum & motum voluntarium? bestia & vermes. Habet vocem? sed quanto clariorem canes, acutiorem aquila, graviorem tauri, dulciorem, nobilioremque luscina? Quid in homine proprium? Ratio, hæc recta & consummata felicitatem hominis implevit. Cum ergo oppositorum opposita sit ratio, haud aliter & de infelicitate & miseriâ hominis dicere licebit. Ex malo æstimatur miseria. Vitem sterilitas corrumpit, acor vinum, lentitudo cervum inutilem reddit. In cane sensuum stupor primum vitium est, si investigare debet feras, tarditas si consequi, ti-*



miditas, si mōrdere & invadere. Id in quoquo pessimum est, quod  
 nativam cujuslibet perfectionem debilitat & tollit. In homine  
 pessimum quid est? Rationis depravatio. Hac infelicio fit ani-  
 malibus, paulo felicior dæmonibus. Rationis ergo corruptio  
 proprium hominis malum est, cætera illi cum animalibus satūque  
 communia sunt. In tenebras conjicitur? Et talpæ lucem non  
 vident. In carcerem? & canes constringuntur, ubi furunt, cate-  
 nis. Torquentur? & asini quotidiana verbera, flagella, equi cal-  
 caria sustinent. Cremantur? & stipulæ. Quid igitur in homi-  
 ne proprium? Rationis corruptio; hæc distorta & depravata in-  
 felicitatem hominis implevit. Habet verò ratio duas partes, in-  
 tellectum & voluntatem. Sicut ergo in intellectus & voluntatis  
 perfectione summa hominis felicitas: ita in imperfectione eorun-  
 dem infelicitas consistit. Privat autem intellectus debitâ per-  
 fectione, quando non intelligit aut cognoscit ea, ad quæ cogno-  
 scenda à naturâ factus & à Servatore reparatus est, aut certè non  
 nisi ea, quæ dolorem, cruciatumque ejus augent & intensiorem  
 reddunt; voluntas verò, cum nonnisi inclinatur ad ea, quæ legi  
 Divinæ & recto intellectus judicio adversa esse novit. Jam ut ad  
 scopum nostrum revertamur, in præsentī vita utriusque infelicitati  
 subjecti sumus. Miseri sumus patiēdo, quæ ferunt & bestię,  
 miseri sumus agēdo, quæ Divinâ lege verantur. Ergo in alterâ  
 vitâ, ubi multò magis miseri futuri sumus, multo majori jure utri-  
 que infelicitati obnoxii erimus: & si alterutrâ carebunt privilegio  
 quodam damnati, hoc ipso feliciores in alterâ, infeliciores in hac  
 vitâ, quod absurdum est, merito putabuntur. Et si in infernali  
 regno nonnisi patiuntur damnati, nihilo magis miseri erunt,  
 quam bestię, quæ extrema sæpe & atrocissima perpetiuntur, cum  
 tamen nunquam peccaverint: neque igitur majora supplicia me-  
 rebuntur homines, sceleratissime viventes, quam ignara legis &  
 hoc ipso innocentia animalia. Dices: diversam esse hujus & il-  
 lius vitæ rationem, hic & faciēdi & patiēdi locum esse, ibi pa-  
 tiēdi tantum. Sed verò hoc ipsum est, quod impugno, ratio-  
 ne, quæ per hoc nequaquam soluta est. Gratis dicitur, infernum  
 patiēdi tantum locum esse, nam nisi & agant damnati, homines  
 non sunt. Loquitur in inferno epulo, desiderat refrigerium; cla-  
 mant

mur damna  
 tur, quæ hinc  
 matri, dol  
 ita, experi  
 rescut m  
 si hæc omnia  
 bestia patien  
 do, pari tan  
 mila & agun  
 frondeo: pa  
 finem tantu  
 que quotidi  
 peccati esse  
 hæc infligun  
 non sequi;  
 agent, hica  
 conditio, q  
 tem & qua  
 um concurr  
 nondum tan  
 quas sustin  
 cruciatu.  
 tellectu & v  
 riam. Dic  
 tuncque affic  
 tem concipi  
 inordinatio  
 immutabili  
 impatientia  
 men calamit  
 vatem mis  
 XLIX.  
 tio voluntat  
 quod Lamech  
 Ergo maxime  
 id est, ab inv



mant damnati: ò montes abscondite nos; lacrymantur, tristan-  
 tur, quæ singula actiones sunt, non meræ passionēs. Sciunt da-  
 mnati, dolentque, se ob peccata puniri, recordantur vitæ ante-  
 actæ, experiuntur iustitiam divinam, desperant de salute, exhor-  
 rescunt iram DEI, qui sunt actus intellectus & voluntatis. Et ni-  
 si hæc omnia sentiant & accuratè intelligant, non minus, quam  
 bestia punienter, quæ cruciatus sentiunt, non intelligunt. Ec-  
 esto, pati tantum: hoc ipso feliciores erunt iis, qui & patiuntur  
 mala & agunt. Dices: pœnam peccati esse pati, non agere. Re-  
 spondeo: pœna peccati primi est mors. Et hæc tamen non pas-  
 sionem tantum variarum calamitatum, sed & peccata actualia,  
 quæ quotidie patramus, includit. Theologi dicunt, pœnam  
 peccati esse mortem temporalem, spiritualem & æternam: illa &  
 hæc infliguntur à Deo actione reali, ista iustâ permissione. Dices:  
 non sequi; in altera vitâ patientur tantum mala damnati, non  
 agent, hic autem & patiuntur & agunt; ergo felicior est illorum  
 conditio, quam horum, quia ibi patiuntur minimam eorum par-  
 tem & quandam tantum quasi *ergo, vultis*, hic vero malorum omni-  
 um concursum & quasi fastigium. At si maximè verum hoc est,  
 nondum tamen patientur, ut homines, sed pœnas sustinebunt,  
 quas sustinent cœtera animantia, etsi majore gradu & exquisitori  
 cruciatu. Peccarunt autem damnati, ut homines, peccarunt in-  
 intellectu & voluntate, ergo miseriam subeant hominibus pro-  
 priam. Dices denique, has ipsas passionēs intellectum volunta-  
 temque afficere, adeoque propriè humanas esse. At verò ne qui-  
 dem concipi potest intellectus & voluntatis dolor, sine eorundem  
 inordinatione naturali, quæ cum ad emendationem hominem  
 immutabiliter malum disponere non possit, non poterit, nisi ad  
 impatientiam & malitiam flectere. Et si hoc non sit, major ta-  
 men calamitas est agere mala & pœnæ æternitatem mereri. Est  
 autem miseria infernalis omnium consensu maxima & æterna.

XLIX. Octavum denique ex Alberto argumentum indura-  
 tio voluntatis damnatæ præstat: *Adhuc causa assignatur à Scripturis,*  
*quod Lamech plus peccavit, quam Cain, quia vis à pœna ejus se non correxit.*  
*Ergo maximè peccat ille, qui experta pœna propria à peccato non retrahitur,*  
*id est, ab inordinata voluntate. Sed tales sunt damnati, Ergo ipsi maximè*  
*pec-*



*peccant.* Consequentia hæc est: Qui plures habet à peccato desistendi causas & tamen sese non emendat, is magis peccat, quam ille, qui pauciores habet causas. Sic gravius peccat Judas, prodendo Servatorem suum, qui non tantum ipsum cum reliquis hominibus creaverat & sanguine suo redemerat, sed in cujus Scholâ etiam de gravissimis fidei mysteriis, proprio, quod paucis contigerat, ore, fuerat eruditus & innumeris sine dubio argumentis adversus hujus seculi tentationes munitus, quam Scribæ & Judæi cæteri, qui hoc tanto beneficio destituebantur. *Va homini illi, ait Christus, per quem proditur filius hominis. Melius esset illi, ut nunquam natus esset.* Matth. XXVI. 24. Sic & gravius punientur in inferno Chorazitæ & Bethsaiditæ, quam Tyrii & Sidonii, eo quod Divina gratia eo cum pondere & iis cum momentis circa illos operata est, ut non tantum verbi Divini luce eosdem illustraret, sed miraculorum quoque gloriâ illustratos alliceret. *Dico vobis, tolerabilius erit Tyro & Sidoni in die judicii, quam vobis.* Matth. XI. 22. Inprimis autem maligni animi indicium est, nec pœnis quidem, iisdemque satis atrocibus, ad meliorem traduci velle mentem, Qui enim in operibus publicis constituti, neque indefessis laboribus, neque vi dolorum, neque infelicitatis hujus diuturnitate franguntur, de eorum emendatione meritò spes omnis abjicitur. At verò damnatus plures habet peccatum deserendi causas, quam non damnatus. Præterquam enim, quod lege Divinâ immutabili ad vitæ emendationem obligatur, pœnæ quoque gravitate, quæ & quanta in hanc vitam non cadit, à peccando retrahitur. Et tamen utrumque incitamenti genus pertinacissimè spernit. Ergo magis peccat damnatus, quam non damnatus. Neque excipi potest, damnatos pœnæ crudelitate à proposito peccandi abduci non posse, ob immutabilitatem voluntatis, statui illi perpetuò hærentem: nam & *importabilis nobis lex est,* Act. XV. 10. quam sine defectu servare non possumus & tamen perfectam omnibus numeris obedientiam à nobis illa requirit: *maledictus, qui non custodit omnia.* Deut. XXVII. 26. Præterea impossibilitas illa, voluntariè contracta, aded non excusat, ut potius accuset, per ea, quæ in morali Philosophiâ amplius disputantur, quæque uberius supra à nobis argumento sexto dicta sunt.

XLIX, Hæc

XLIX.  
 Hæc enim  
 morantur  
 nitur.  
 subin  
 ventura, q  
 tate veru  
 te ad Petru  
 mit se pecc  
 fongiter ab  
 tum Augusti  
 presentavim  
 cione repe  
 nentiam ha  
 argumenti  
 eo, quod es  
 consequent  
 tamen ad pe  
 quas in erudi  
 peravit, audi  
 ex veculisti  
 nalibus man  
 damnatis va  
 contenti erin  
 sã. Serm. II  
 de triplici ha  
 edis, flutina.  
 p. 707. Requi  
 nis aliquid in  
 mundo abesse  
 necti affectu  
 ris, quorum  
 mento mitiga  
 abuntur?  
 ipsum pecca  
 olim damna



XLIX. Hæc hætenus ab Alberto sibi ipsi contraria, ( defendit enim sententiam, damnatos peccare, negantem ) formabantur argumenta, ad quæ dissolvenda magno studio an-nititur. Subjicienda nunc nobis sunt ea, quæ apud alios subinde occurrunt. Nonum igitur argumentum ex Bonaventura, ( qui & ipse opinionem contrariam tuetur ) ab auctori-tate vetustissimorum Patrum desumptum hoc est: *Augustinus de Fi-de ad Petrum dicit, quod bonam habere nullatenus poterunt voluntatem. Sed nolle se peccasse est voluntatis bonæ. Ergo non poterunt hanc habere. Ergo si considerabunt peccatum suum, cum non possint nolle, nec esse habent velle.* Lo-cum Augustini, vel quicumque libri illius auctor est, plenum re-præsentavimus, §. IV. Pertinent huc, ne idem argumentum otiosè repetamus, quæcunq; ex cæteris Ecclesiæ Patribus ad sen-tentiam hanc confirmandam corrogantur. Quamquam enim hoc argumenti genus nullatenus ejusdem roboris & momenti sit cum eo, quod ex S. Literarum auctoritate, sive verbis formalibus sive consequentiarum virtute concludente deducitur, non exiguum tamen ad persuadendam veritatem pondus est, fideles ejus ætatis, quæ in eruditione Sacrà & studio pietatis hanc nostram longè su-peravit, audire sibi consentientes. Non autem adducemus eos ex vetustissimâ antiquitate Patres, qui tales ubique, cum de infer-nalibus malis agunt, ponunt doctrinas, ex quibus liquidò fluit, damnatis varia competere peccatorum, vitiorumq; genera, sed iis contenti erimus, qui eorum nominatim faciunt mentionē. Chry-sost. Serm. III. ad Phil. *Peccata in inferno exuere non licet.* Auctor libri de triplici habitaculo: *Lacus inferni plenus est tenebrarum, discordiæ, odii, stultitiæ, amaritudinis, offensionis.* Origenes II. Periarch. c. XI. p. 707. *Requiris sanè, si hi, qui vitiorum malis irretiti sunt, nec emendatio-nis aliquid in hac vitâ adhuc positi comparare sibi potuerunt, & ita ex hoc mundo abscesserant, sufficiat illis ad pœnam, quod illis ipsis perdurantibus in se noxiis affectibus, cruciantur, id est, vel iræ, vel furoris, vel insanis, vel moro-ris, quorum utique mortiferum virus nullo in hac vitâ emendationis medica-mento mitigatum est: An his affectibus immutatis generalis pœna stimulis ve-xabuntur? ( ita circumscribit Rufiniano ore quæstionem: an per ipsum peccatum an per pœnam à peccato diversam puniendi sint olim damnati? ) Sed & aliorum suppliciorum speciem intelligi arbitror*

E

posse.



posse, quia sicut sentimus soluta corporis membra atque suis invicem avulsa compagibus immensi doloris generare cruciatum: ita anima cum extra ordinem atque compagem, vel eam harmoniam, ad quam ad bene agendum & utiliter sentiendum à Deo creata est, fuerit inventa, nec sibi metipsum rationabilium motuum compagine consonare poenam cruciatumque, putanda sit sibi metipsum ferre disfidii & inconstantiæ suæ atque inordinationis sentire supplicium. Quæ animæ dissolutio atque divulsio, cum adhibiti ignis ratione fuerit explorata, sine dubio ad firmiorem sui compagem, in restorationemque solidatur. Hugo Victorinus IV. de An. c. XIII. Omnis, qui est in inferno, odit se & omnes alios. Bernhardus, de Verb. Orig. In inferno solum peccatum & poena peccati. Innocentius III. de cont. mund. c. X. Male dicent damnati altissimo & blasphemabunt excelsum.

L. Decimum apud Bonaventuram argumentum desumitur à conformitate damnatorum cum angelis malis & hoc est: *Voluntas hominis post mortem est invertibilis, sicut voluntas angeli mali. Sed angelus malus vult se peccasse. Ergo. A statu malorum angelorum in inferno ad statum damnatorum ex duplici causâ legitima est collectio, primò, quia sicuti bonis angelis salvati similes futuri dicuntur, ita malis ex contrario damnatos conformes fieri necesse est. Hinc in eundem eum ignem conjiciuntur damnati, qui preparatus est diabolo & angelis ejus, ut eandem in illo cum diabolo poenam sustineant. Matth. XXV. 41. Deinde, quia ea ipsa argumenta, quæ damnatos peccare non posse, probant, illud idem de dæmonibus quoque evincunt, ut suo loco ostenderetur. Ergo in contrarium, si non obstantibus pro impeccabilitate damnatorum rationibus, dæmones revera peccant, damnati quoque peccabunt; aut certè ostendenda est diversitatis ratio, cur justitia Divina dæmonibus, qui licet hominem seduxerint, nullam tamen gratiam, quippe quæ ipsis oblata non est, sicut damnati, petulanter spreverunt, aliam, quam damnatis, qui duplici jure pereunt, admetiatur poenam: vel certè, cur justitiæ, cur sapientiæ Divinæ repugnet, damnatos peccare, non autem repugnet, peccare dæmones? Jam verò aut dicendum est, dæmones actu poenâ infernali torqueri. Rupertus, libro I. de Victor. Verb. D. c. XVII. Sciendum est, ait, quia, quocumque se vertat, poenam suam secum portat, (Diabolus) & plaga ignis, ignitorum lapidum, quæ semel est fulminatus, intrinsecus in ipso*



ipſo perſeverat. Beda in Comment. in cap. III. Ep. Jacobi, ubicum-  
 que, ait, vel in aëre volitant dæmones, vel in terris, aut ſub terris vagantur,  
 ſive detinentur, ſuarum ſecum ferunt ſemper tormenta flammaram, inſtar fe-  
 bricitantis, qui eſt in lectis eburneis, eſt in locis ponatur apricis, fervorem ta-  
 men vel frigus inſiti ſibi languoris evitare non poteſt. Sic ergo dæmones, eſt in  
 templis colantur auratis, eſt per aëra ſua diſcurrant, igne ſemper ardent ge-  
 hennali, & ex ipſâ ſua pœnâ commoniti deceptis quoque hominibus fomitem  
 vitiorum, unde & ipſi pereant, invidendo ſuggerunt. Aut aſſerendum,  
 plenariam actualemque pœnam ad extremum iudicium differri.  
 Iſidorus Peluſiota, lib. II. Ep. XC. Poſtquam è cælo venit ſalutare ver-  
 bum, nobis quidem cœleſtis vita generis documenta ferens, Diabolo verò per  
 eas minas, quas in peccatores intendebat, pœnam, quæ ipſum manebat, pra-  
 nunciando; dicebat enim, ite in ignem, qui paratus eſt Diabolo & angelis ejus,  
 tum verò communis ille omnium hoſtis, cum condemnationis ſua decretum au-  
 diſſet, acrius adverſum nos ſpiravit atque hæreſes in lucem protulit. Orige-  
 nes Homil. IIX. in Ex. Diabolus, qui peccandi jam modum exceſſit, ſi-  
 cut propheta dicit: quemadmodum veſtimentum in ſanguine concretum non  
 erit mundum, ita & ipſe non erit mundus in hoc ſeculo, neque corripitur pro  
 peccato, neque flagellatur. Omnia namque ei ſervata ſunt in futurum. (Ex  
 II. Petr. II. 4. & Ep. Jud. v. 6.) Unde & ipſe ſciens ſibi iſtud ſtatutum  
 tempus eſſe pœnarum, dicebat ad Salvatorem: quid veniſti ante tempus tor-  
 quere nos? Dum ergo ſtat hic mundus, peccata ſua non recipit Diabolus, qui  
 eſt peccantium pater: quoniam indignus eſt, qui in præſenti ſeculo corripia-  
 tur, ſed in futuro recipiet, quæ mereatur. Si prius, tum evidens eſt, &  
 cruciari Diabolum igne infernali & ſimul peccare. ἀμαρτάνει ὃ ἀπ' ἀρχῆς ὁ διάβολος. I. Joh. III. 8. ἡσὶς ἀνθρώπων τὸ ἢ ἀπ' ἀρχῆς καὶ ἐν ἀλη-  
 θείᾳ καὶ ἐσθλῶν, ὅτι καὶ ἔστι ἀληθὴς καὶ ἐν αὐτῷ ὁ ἀπὸ ἀρχῆς τὸ ψεῦδος, ἐκ τῶν ἰδίων λαλῶν.  
 ἔτι ψεύσας ἔστι καὶ ὁ πατὴρ αὐτοῦ. Joh. IIX. 44. Gregor. M. XIII. Mor. c. I.  
 Omnis voluntas Diaboli iniuſta eſt. Gloſſa ord. II. Corinth. VI. Sicut  
 Chriſtus omnia benè, ita Diabolus omnia malè. Et quid notius, magis-  
 que inter omnes conſeſſum, quam dæmones ſummè malos eſſe,  
 cum & DEO petulantiffimè inſultent & homines, quantum in  
 ipſis eſt, ad horrenda quævis ſcelera ſollicitent? unde & ὁ πονηρὸς di-  
 citur Diabolus eminentiâ quadam. Matth. V. 37. VI. 13. Jam  
 verò, ſicut præguſtus vitæ æternæ ab ipſâ vitâ æternâ non eſſen-  
 tialiter, ſed quibusdam tantum accidentibus differt: ita nec in-



fernalis pœna dæmonum, quam in hac, ab eâ, quam in futurâ vitâ perpetiuntur. Gregorius Papa in IV. Moral. c. X. *Antiquus hostis nequitia sua vinculis astrictus, aliud est, quod nunc patitur, aliud, (non re, ut ex sequentibus patebit, sed diuturnitate) quod in fine patietur. Quia enim à lucis intimæ ordine cecidit, nunc semetipsum intrinsecus erroris caligine confundit. Sed post hoc amaritudine involuitur, quia ex merito spontaneæ caliginis aeterno gehennæ tormento cruciatur. Dicatur ergo: is, qui serenitatem lucis intimæ perdidit, quid est, quod ante extremum supplicium tolerat? Occupet eum caligo, subjungatur etiam, quæ illum pœna subsequens, etiam sine termino, devastat. Involvi ergo amaritudine antiquus hostis dicitur, quia superbiæ ejus supplicia non solum omnimoda, sed etiam infinita præparantur. Quæ videlicet pœna ejus tunc initium accipit, cum districtus ad extremum judicium iudex venit. Si verò posterius, tum non apparet, cur tot mille annos dæmones in gravissimis volutari peccatis patiatur DEUS, homines verò, qui vix centesimam aut millesimam ejus mensuram implent, haud graviore, quoad essentiam, supplicio maectet? cur <sup>peccatoris</sup> pœna Dei, cum brevi hominis & sæpe vix diurno peccato, non verò cum longo dæmonis & diuturno terminetur? Præterea communis opinio est, quia contrarium nullis idoneis argumentis doceri potest, Diabolos, post extremum judicium, naturam suam nequaquam deposituros, sed pœnarum intensione incrementa malitiæ sumpturos esse. Hac de re D. Gerhardus, loco de Creat. §. 66. sectione, quæ agit de obstinatione angelorum malorum in malo, ita loquitur: *Vis appetitiva proportionatur apprehensiva. Angelus apprehendit immobiliter, sicut nos prima principia, quia non discurret, nos autem discurrendo intelligimus; unde voluntas nostra mutabiliter adheret, angeli verò voluntas fixæ & immobiliter.* Subjungit consensum Gabrielis Biel, Doctoris quondam Tubingensis, quî II. Sent. dist. VII, q. un. *Angelus malus, inquit, non potest carere actû malo, quia non potest non velle beatitudinem, quam DEUS ei non vult dare, non potest velle pœnam, quam DEUS vult instigare, nec velle esse in tali loco, in quo DEUS ipsum vult esse.* Ergo ex consideratione perpetuæ acerbissimæ pœnæ gehennæ & actuali consideratione beatitudinis amissæ, cum omnimodâ desperatione recuperandi, spiritu impatientiæ agitur & surgit in continuum murmur & odium punientis DEI. Id quod & hac ratione doceri potest: si malitia mali angeli post extremum judicium finem habitu-*



ra est, tunc aut voluntas ejus corrigetur, aut non corrigetur. Si corrigetur, ergo non erit amplius malus angelus, multò minus malus *κατ' ἴσους*, sed bonus, quod absurdum & Origeniano errori proximum. Si non corrigetur, tum aut mala manebit & consequenter peccabit; aut in statum inter malum bonumque medium traducetur: id quod in naturâ volente aut intelligente tam fieri nequit, quam fieri non potest, ut natura sentiens in statum inter vitam mortemque medium ponatur. Nam aut voluntas, prævio intellectus judicio, appetit bona, & sic benè agit & emendatur, aut non appetit: & sic malè agit & corrumpitur: aut neque appetit neque non appetit, & sic ipsa voluntatis natura perit, quæ in appetendo & averfando consistit. Cognoscere verò intellectum dæmonis bona malaque, indubiis argumentis, & vel solo pœnæ exemplo, (cujus nisi causam noverit, pœna non est) sufficienter constat. Quæ cum ita se habeant, damnatos quoque, qui *ισάως* futuri sunt, peccati labe corruptos fore, necesse est. Sunt enim damnati nihil aliud, quam diaboli incarnati.

LI. Undecimum apud Bonaventuram argumentum innitur analogiæ status damnatorum cum statu salvandorum: *Sicut malitia inclinat voluntatem ad malum, sic gratia ad bonum. Sed malitia remanet in damnatis, sicut & gratia in beatis. Ergo sicuti boni bona, quæ semel voluerunt semper volunt, ita damnati semper volunt mala.* Hujus argumenti triplex est, nisi omninò fallor, nervus. Nam primo colligitur ab opposito statu simpliciter: Qualis est status salvatorum, talis in opposito est status damnatorum. At ille talis est, ut gratia ad benè agendum disponens in beatitudine, perinde ut in viâ, perseveret. Ergo in opposito & hic talis est; ut voluntas mala, ad male agendum inclinans, in damnatione, perinde ut in viâ, perennet. Id quod amplius confirmatur ex eo, quia, quâ quisque in vitæ suæ conditione decedit, in eâ post mortem non immutatur, juxta dictum: *Si ceciderit lignum ad austrum, aut ad aquilonem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit.* Eccl. XI. 3. Aut certè hujus immutationis gravissima sunt in medium proferenda argumenta. Secundo concluditur ab oppositi status confirmatione: Quâ ratione in statu salutis beati sunt confirmati, eâ ratione in opposito confirmati sunt damnati. At verò illi ita sunt confirmati, ut peccare



& excidere gratiâ nequeant. Ergo & damnati ita roborati erunt, ut non possint nisi peccare & exitii perpetuitatem sibi attrahere. Si igitur à peccando desisterent damnati & tamen condignis peccato pœnis adfligerentur; tum & à benè agendo cessarent salvati & tamen promissis præmiis gauderent: quod absurdum. Terriò denique à formâ oppositi status colligitur: Si status salvatorum formaliter in visione DEI beatificâ, id est, in eminentissimâ DEI, quoad intellectum, tanquam summi boni, cognitione & secundum voluntatem, in intensissimo perfectissimoque DEI amore consistit, tum ex opposito status damnatorum formaliter, quoad intellectum, in summâ DEI, in quantum summum bonum est, ignorantia, tenebris exterioribus denotata, quoad voluntatem verò, in odio ejus gravissimo maximoque consistet. At verum est prius, ceu nemo negat. Ergo & posterius. Vehementissimè, ut quilibet videt, stringit hoc argumentum. Nam impossibile est, ut status cœtera oppositissimi, quales, ut in hac, ita in alterâ quoque vitâ, sunt damnatorum & salvatorum, in hac quidem formalibus oppositis, in alterâ non differant. Differrent autem non formâ, sed accidentibus tantum inseparabilibus, quæ formam ordinariè alias consequuntur, si vita beata in gaudio & delectatione, damnatio in doloribus & cruciatibus tantum consisteret. Jam verò vita æterna in visione DEI à facie ad faciem constituitur: *Videmus nunc per speculum in enigmate, tunc autem facie ad faciem; nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut & cognitus sum.* I. Cor. XIII. 12. Ergo damnatio æterna in privatione visionis illius, seu rejectione à facie DEI: *discedite à me maledicti.* Matth. XXV. 41. Porrò visio illa beatorum à facie ad faciem non erit ocularis, sed spiritualis, quæ fiet per oculos non corporis sed mentis, quam Apostolus ipse per cognitionem perfectissimam interpretatur: Ergo & rejectio damnatorum non erit localis, sed spiritualis, non tam in locum, quam in statum, privatio nempe cognitionis DEI beatificæ. Præterea cognoscent beati DEum, ut summum & infinitum bonum, bonitatem suam largis quasi fluviis in illos dispensantem: Ergo damnati eundem cognoscent, ut severissimum justissimumque judicem, supplicia sua fœcundis quasi imbribus in illos depluentem. Ex isthac cognitione summi boni in beatis non potest non proveni-

infraganti  
in regulam:  
gitione acc  
aperillim  
tari intel  
mi in beatis  
ulatio, corpo  
cum angelis  
illum intelle  
matis fructu  
ni & despera  
compositi in  
hujus miser  
verbis Magi  
sum est bonum  
si supplicium  
malorum &

LII. D

mentum, co  
undi in presen  
candi volunt  
ratur, Ergo p  
formam red  
à peccandi n  
turali immu  
necessario m  
labi & pecc  
quam pecca  
detergere. Si  
opti ea, que su  
I. Cor. III. 12.  
nobis, sed qu  
tion cogitatio  
Venandati su  
possunt. Ro  
nuy mortuus



nire flagrantissimus amor ejus, quod cognoscitur, juxta Augustini regulam: *Tantum diligitur, quantum cognoscitur*: Ergo ex hac cognitione acerbissimi judicii in damnatis non potest non emergere apertissimum odium ejus, quod cognoscitur. Denique hanc totam intellectus & voluntatis illustrationem sequentur jucundissimi in beatis fructus, conscientiae serenitas, animi gaudium & exultatio, corporis ~~virescentia~~ & pulcritudo, securitas vitae, conversatio cum angelis & universae hujus felicitatis aeternitas: Ergo totam illam intellectus & voluntatis caliginem sequentur funesti in damnatis fructus, vermis conscientiae perpetuo rodens, animi tristitia & desperatio, corporis languor & deformitas, cruciatus totius compositi ineffabiles, cohabitatio cum daemonibus & universae hujus miseriae nunquam terminanda perpetuitas. Concludo verbis Magni Gerhardi, Loc. de Inf. §. 35. *Sicut praemium piis promissum est bonum universale, omnium bonorum genera & species complectens: sic supplicium peccatoribus preparatum est malum universale, in quo omnia malorum & suppliciorum genera in unum coacervata deprehenduntur.*

LII. Duodecimum, & apud Bonaventuram ultimum, argumentum, colligit à consequente absurdo: *Si quis dimittat actum peccandi in presenti, non potest esse sine gratia gratis data; multò fortius de peccandi voluntate. Ergo si nulla gratia datur ipsis reprobis, nec natura melioratur, Ergo peccandi voluntatem nunquam amittunt.* Syllogismus in formam redactus hic est: Quaecunque vitiosa natura neq; melior & à peccandi necessitate immunis redditur, neque à gratia supernaturali immutatur, in eà & peccandi voluntas & actus peccaminosi necessario manent. Non enim, sicut in hominis potestate fuerat, labi & peccatorum sordibus contaminari, ita in viribus ejus, postquam peccavit, est, à peccato surgere & fordes illas maculasque detergere. *Sine me nihil potestis facere. Joh. XV. 5. Naturalis homo non percipit ea, quae sunt Spiritus DEI, Stultitia enim illi sunt, neque cognoscere potest. I. Cor. II. 14. Non sumus idonei cogitare aliquid ex nobis ipsis, tanquam ex nobis, sed quod idonei sumus, id ex DEO est. II. Cor. III. 5. Omne figmentum cogitationis cordis hominis tantum malum est à pueritia. Genes. VI. 5. Venundati sumus sub peccatum & servi peccati, qui ex se non nisi peccare possunt. Rom. VII. 14. 19. 23. Mortui peccato, Eph. II. 1. 5. Sicut igitur mortuus seipsum suscitare nequit; ita nec peccator ex se sur-*  
gere



gere ex peccato. Necessè igitur est, ad id, ut homo peccator peccatum deponat & sine peccato vivat, ut natura peccans vel à superiori agente immediatè, vi & potentiâ absolutâ, immutetur & in statum innocentiae & impeccabilitatis transponatur; quâ virtute secundum nonnullos ad fidem, vitamque meliorem translatus est Paulus, Act. IX. 4. 6. vel certè per gratiam mediatè agentem ita disponatur, ut exuere peccatum & mutare paulatim vitiosam voluntatem possit. DEUS enim solus tantæ virtutis est, *ut operari in nobis valeat & velle & perficere, secundum beneplacitum suum.* Phil. II. 13. Atque damnatorum vitiosa natura neque melior & à peccandî necessitate immunis redditur, neque à gratiâ supernaturali immutatur. Non illud, quia DEUS adeo nullas habet causas, immediatâ actione destruendi naturam eorundem vitiosam, ut potius gravissimæ ei suppetant rationes, in connatâ corruptione eandem relinquendi. Cum enim peccatis & finali incredulitate, possit gratiam damnatis toties oblatam, toties repulsam, vehementissimè sit læsus, injustum foret iudicium, si loco pœnæ optimè promeritæ beneficio afficere & meliores reddere damnatos vellet. Quid? quod deterioris conditionis fuisset homo primum in peccata lapsus, à quo potentiam peccandi DEUS non abstulit, quam idem damnatus, postquam ineffabilem gratiam malitiosè toties decexit. Non hoc, quia janua gratiæ hac in vitâ clauditur. Matth. XXV. 10. Origenis autem error fuit, continuari hanc gratiam per liberi arbitrii usum in alterâ quoque vitâ, ita, ut à vitiis ad virtutes & à virtutibus ad vitia perpetuus sit transitus. Fortè excipies; auferre habitum & potentiam peccandi tum demum beneficium esse, quando auferitur ita, ut bene operari & ex statu supplicii eluctari possis. At damnatos quidem privari peccandi habitu, sed absentiam hanc vitiosæ naturæ perinde moraliter bonam non esse, ac non est in bestiis, qui eâ pariter careant, neque etiam virtutem bene agendi per isthanc privationem iis communicari; quin imò ad augmentum pœnæ eadem spoliari, ne blasphemare DEUM & animum vindictæ cupidissimum possint exercere. Hæc quidem speciosè, non accuratè & fidei *ἀναλόγως* dicuntur. Nam in intelligente & volente creaturâ hæc fieri, manifestè contradictionem involvit. Pone hominem, qui sive per naturam sive per gratiam  
 move-



noverit discrimen honesti & turpis, quidque lex divina à nobis fieri velit, non fieri vetet. Sine hac quippe cognitione homo non homo sed brutum est. Ponatur iste in statum, in quo voluntas non possit, quæ ab intellectu bona non esse rectè apprehensa & iudicata sunt, nisi fugere & averfari, seu, ut convenientius dicam, non appetere: & fieri non poterit, ut hæc ipsa non-appetentia mali non sit moraliter bona. Est enim legi naturæ, quæ malum vitari jubet, prorsus conveniens. In moralibus tam boni naturâ gaudet, omittere, quæ prohibita sunt, quam facere, quæ mandata, juxta Poëtam:

*Virtus est vitium fugere.*

Quam in rem amplius ita concludo: damnatus, qui peccare non potest, aut intelligit, quid sit peccatum, aut non intelligit. Si non intelligit, homo non est, sed brutum. Ratio enim, in quantum ratio est & hominem à bruto discernit, includit notitiam dextræ & sinistræ, scientiam boni & mali: aut tu mihi expone, quid præ bestiâ nobilior possideat homo? Si intelligit, aut volenter adeoque sponte & deliberato animo malum omittit, aut coactus & cum renitentia quadam voluntatis. Si prius, omissio isthæc & materialiter & formaliter in genere morum bona est; convenit enim secundum se legi naturæ & ab animo agentis bonitatem etiam subjectivam recipit. Si posterius, tunc cogi se patitur damnatus, aut ideò, ut justitiæ Divinæ satisfiat: & hoc ipso moraliter melior redditur omissio, aut, quia penarum ei atrocitas necessitatem imponit; & sic, quia actiones morales ex finibus æstimantur, deficiente legitimo fine, ipsa omissio mala formaliter redditur, consequenter homo non erit liber ab omni peccato. Quod igitur in brutis impotentia peccandi bona non est, id inde oritur, quod malum non intelligunt, nec ideò legem habent. At homo nullo in statu, quamdiu manet homo, non intelligere malum & legi non subjectus esse potest. De cæteris suo loco dicetur.

LIII. Proposuimus hætenus fundamenta sententiæ affirmantis, quæ præcipuè in Scholasticorum Commentariis comparant & quibusdam quasi notis ac observationibus illustravimus. Nunc & reliqua adjicienda sunt, quibus communiri isthæc opinio apud Theologos passim cernitur. Ergo Tertium & decimum ar-

F

gu.



gumentum ex desperatione statui infernali necessario annexâ deducitur. D. Gerhardus, Loco de Inf. §. 76. probaturus, actiones damnatorum omnes esse malas, hanc secundo loco rationem recenset: *quia damnati semper erunt in actuali DEI odio, quod ex perpetuâ & immotâ consideratione miserrimi status, in quo se norunt in omnem aternitatem permanuros, in ipsis oritur. Inde etiam perpetuò ac directe avertunt se à DEO, summo bono, ad cuius gloriam omnia deberent referre.* Dubium non est, quin damnati sive ex revelatione, cuius in illo statu quoad ea, quæ pœnæ ipsorum augendæ faciunt, non obliviscuntur, sive ex pertinaci suppliciorum diuturnitate spem recuperandæ salutis omnem peritus sint abjecturi. Illa verò desperatio propriè loquendo non est peccatum, sed tantum firmum in damnatis iudicium, fieri non posse, ut cum sententia lata fuerit, æternum fore ipsorum supplicium, ex cruciatibus unquam liberentur & æternam gloriam assequantur. Nihilominus tamen ex consideratione miserrimi status & ineluctabilis mali non potest non sequi desperationem illam odium adversus DEUM, tam diuturnis flagellis eos cruciantem. Nam pœnam illam sustinebunt aut patienter, voluntatem suam Divinæ voluntati libenter subjiciendo; & tum non tantum agnoscent ejus justitiam sed eandem laudabunt atque prædicabunt, quod boni operis genus fingere de statu illo, non affirmare licebit: aut impatienter, DEO, quantum in se est, renitendo; & tum iram Divinam non tantum sentient, sed eandem quoque odio & blasphemiam prosequentur. Id quod porro inde patet. Quicquid appetit voluntas, id rationem boni, non tantum in se, sed in respectu ad appetentem, cuius naturæ convenire debet, habet. Impossibile enim est, quemquam velle aliquid, quod, in quantum vult, sit malum ei, qui vult. Nam nec æger amarum medicamentum sumit, in quantum palato suo malè sapit, sed in quantum utilem sibi sanitatem promovet; nec *avrox* violentas sibi manus infert, ut adversam naturæ animæ & corporis dissolutionem procuret, sed ut incommoda & pericula, quibus involveretur, si viveret, declinet; nec Christianus immixtas à Deo calamitates patienter tolerat, quia carnem affligunt & animam excruciant, sed quia promissionem habent ingentium præmiorum, quibus aliquando afficientur. Jam verò pœnæ infernales,

insequidem  
sini pro m  
sint aut com  
quam velle  
manæ  
modum quo  
gat & odio p  
non potest,  
destructionem  
nobis quicquid  
currupenda  
diter possunt  
odio, infecto  
Vide & con  
vermes, inf  
illata prop  
versus inim  
dunt? quo  
expende qu  
nari adver  
canduit, y  
Supplicia q  
qui vel em  
sperant, ani  
rati, & ocu  
si se posse, u  
supplicia, e  
cumulanda  
quin & cog  
eidem inge  
plo epulanti  
temporis d  
citatam po  
que volun  
gula seque  
de Valenti



in se quidem rationem boni habent, in quantum à vindicante iustitiâ pro merito infliguntur, sed damnatis nullâ ratione utiles sunt aut commodæ, sed perpetuò adversæ. Igitur easdem nunquam velle, nunquam appetere possunt. Econtra voluntatis humanæ ea conditio, ea indoles est, ut quod ei inutile, quod incommodum, quod malum est & quocunque modo ei adversatur, fugiat & odio prosequatur. Quælibet enim res per naturam suam non potest, nisi summis viribus conservationi suæ invigilare & destructionem suam præcavere & contra eandem omni vi niti. At verò quicquid rei malum & inutile est, ad illam destruendam & corrumpendam tendit. Ergo damnati per naturam suam haud aliter possunt, quam, quantum in se est, totis viribus, displicentiâ, odio, insectatione, contra DEum, malum hoc eis inferentem, niti. Vide & considera in præfenti seculo minima quævis animalcula, vermes, insecta, muscas, ut contra injurias se muniunt? ut damna illata propellunt? Intuere bestias, boves, equos, leones, quam adversus inimicos iram concipiunt? Quam profundè animo recondunt? quo furore eandem exerunt? Nunc autem hominem mihi expende, qui, quo nobiliori præ illis naturâ pollet, hoc majori conatu adversos impetus rerundit & si ad illata damna semel excaudit, iræ & furoris neque terminum inveat, neque modum. Supplicii quidem immanitas à sceleribus aliquando revocat eos, qui vel emendari pœnis cupiunt, vel finem brevi habituras esse sperant, animi tamen malitiam iis, qui callum in malo obduxerunt, & odium nequaquam eximunt. At damnati neque corrigi se posse, utcunque vellent, sciunt, neque defutura esse unquam supplicia, optimè norunt. Neque ea est pœnarum, ad miseriam cumulandam, diritas, ut vel sensum intercipiat vel intellectum, quin & cognoscere damnati infelicitatis suæ magnitudinem, & eidem ingemiscere & deplorare stultitiam quondam suam, exemplo epulonis, & denique rationes apud se alias, ipsâ longissimi temporis diurnitate edocti, inire queant. Adeo falsum est, atrocitatem pœnarum rationis negotiationem & usum intellectus atque voluntatis humanæ prorsus sufflaminaturam esse. Quæ singula sequenti discursu confirmat doctissimus Jesuita, Gregorius de Valentia, Comm. in Thom. Tom. I. Disp. IV. Qu. XV. Punct. II.



p. 1183. *Damnati continenter cogitant & acerbiter poenarum, quas DEO vindice dant, & magnitudinem beatiitudinis, quam perdididerunt, & se nihil habere praetera, quod à DEO circa salutem suam vel timeant vel sperent, cum sint jam in damnationis termino. Hæc enim perpetua cogitatio cum summa desperatione & afflictione conjuncta, non potest, moraliter loquendo, non parere in damnatis perpetuum illud & acerbissimum DEI odium. Quod autem in eâ cogitatione perpetuo defixi sint damnati, patet tum ex Scripturâ, tum ratione. Scripturâ quidem: nam alias, si cessaret in illis ea cogitatio, cessaret quoque in iisdem tristitia, quæ non est sine cogitatione mali. Item cessaret nonnunquam remorsus & vermis conscientie illorum, contra illud Isaie ultimo: vermis eorum non moritur. Et illud Apoc. 20. cruciabantur die ac nocte in secula seculorum; quod maxime quoque de tristitia cruciatu intelligi debet. Ratione etiam id patet: nam & homines in hac vitâ experiuntur, se, si in grave aliquod malum incurrerint, non posse ab illo cogitationem avertere, nisi vel aliud quid jucundum accidat, quod molestiam levet, vel ceriè animus occupatione aliqua, quæ priori cogitationi obstet, necessario inde abstrahatur. Itaque cum neque ullam damnati percipiant jucunditatem, neque ullis negotiis animus eorum à cogitandâ miseriâ suâ abstrahatur, fit, ut perpetuo maneant in eâ cogitatione defixi, atque adeo, ut sine intermissione DEUM odio acerbissimo prosequantur, ut est dictum, sicut contra beati summo amore DEUM continenter diligunt, cogitantes & ipsi perpetuo, quantum à felicitate & gaudio DEI beneficio perfruantur. Atque huc maxime spectat illud, quod in libro de Fide ad Petrum, cap. 3. ex Augustini sententiâ dicitur: demones nec malâ unquam carere posse voluntate, nec poenâ.*

LIV. Argumentum decimum & quartum desumitur à dentium stridore, quem vehementia ipsa tabescentis invidiæ & obstinata malignitas damnatis extorquebit, ceu loquitur Bernhard. §. X. allegatus. Ploratu & dentium stridore aliquoties Servator universam infernialium incolarum poenam complectitur. *ἔκει ἵσται ὁ κλαυθμὸς καὶ ὁ βρυγμὸς τῶν ὀδόντων.* Matth. II. 12. *Ibi erit fletus & stridor dentium.* c. XIII. 42. 50. XXII. 13. XXIV. 51. XXV. 30. Luc. XIII. 28. eodem sensu, iisdemque perpetuo verbis. Inter Ecclesiæ Doctores nonnulli metaphoricè omne tormenti genus intelligunt. Hieron. in Matth. p. 65. *In fletu oculorum & stridore dentium, per metaphoram membrorum corporaliū, magnitudo ostenditur tormentorum.* Chrysof. Homil. LXX. in Matth. *Intolerabiles dolores his verbis significantur.*

Quos



Quos sequitur Lutherus, Expof. Evang. XX. Trin. Zähnlappern vom Frost und Heulen von der Hitz / wie es die alten Lehrer gedeutet haben. Wiewohl der HERR alle Marter damit angezeigt / die man erdencken kan. Dann Hitz und Frost feynd die zwo größten Plagen auff Erdrreich. Als wolt er sagen / ihr werdet mehr leiden müssen / dann man mit Worten sagen und mit Gedancken fassen kan. Prosper Aquit. de Vit. Contempl. lib. III. c. XII. eodem modo : *Fletus & stridor dentium acerrimos damnatorum dolores ostendunt, qui supplicio aeterna mortis addicti non videndi sensum habituri sunt, sed dolendi.* Alii per vicissitudinem quandam fletum ex igne & ignem comitante fumo, stridorem ex frigore intolerabili oriturum putant. Auctor libri de Triplici habitaculo, c. II. *Principalia duo sunt tormenta in inferno, frigus intolerabile & calor ignis inextinguibilis. Fletus namque & liquefactio oculorum ex calore nascitur, stridor vero dentium ex frigore, de quibus duobus innumera pendent poenarum genera.* Beda in Matth. IIX. *Duplex hic ostenditur gehenna, id est, nimii frigoris per stridorem dentium & intolerabilis fervoris per fletum oculorum.* Denique alii invidiae & indignationi stridorem hunc adscribunt. Bernhards in hanc rem jam meminimus. Beda allegatis verbis haec subijcit : *Vel certe stridor dentium prodit indignantis affectum, eo quod sero unumquemque poeniteat, sero ingemiscat, sero irascatur sibi, qui tam pervicace improbitate deliquerit.* Ambrosius in Luc. c. XIV. *Neque corporalium stridor aliquis dentium, neque ignis aliquis perpetuus flammaram corporalium, neque vermis est corporalis. Sed haec idem, quia sicut ex multa cruditate & febres nascuntur & vermes : ita si quis non decoquat peccata sua, velut quadam interposita sobrietate abstinentiae, sed miscendo peccata peccatis, tanquam cruditatem quandam contrahat, veterum & recentium delictorum, igne aduretur proprio & suis vermibus consumetur . . . . .* stridor quoque dentium prodit indignantis affectum, eo quod sero unumquemque poeniteat, sero ingemiscat, sero irascatur sibi, quod tam pervicaci improbitate deliquerit. Ex quo sine dubio Beda transcripsit. E nostris D. Brentius, in Matt. IIX. *Fremunt dentibus Judaei, quia maximam tenentur indignatione & animi dolore, quod nos gentes gloriemur de Messia, quem ipsi abjecerunt.* In hac sententiarum diversitate dicendum est, citra manifestum impropriae locutionis indicium, quale his locis, toties repetitis, non occurrit, a proprietate discedendum non esse. Quam praeter hoc saeterae infernalis baratri descriptiones, quae illam sive antecedunt



sive sequuntur, confirmant. Si enim ignis propriè dictus, si fletus & similia, de quibus, nisi metaphoricum tandem totum infernum efficere velimus, ne dubitare quidem fas est, in carcere infernali reperiuntur, quidni & dentium stridor? Hieronymo alibi tam certum hoc est, ut contra eos, qui in carne nos eadem vel carne simpliciter resurrecturos negant, telum hinc torqueat; in Matth. II. *Si fletus oculorum est*, inquit, (est autem, si non per lacrymarum resolutionem, tamen per commotionem & conturbationem cerebri atque oculorum) & stridor dentium ossa demonstrat: *vera est ergo corporum & eorundem membrorum, quæ ceciderant, resurrectio*. Cum igitur stridorem propriè intelligi necesse sit, aut à frigore ille erit, aut à furore. Quamquam autem βρυμὸς ἐπὶ βρυχίαι, secundum Hesychium, sit τὰς ὀδόντας πύλλοντα ψόφον ἀποτελεῖν, ὡς ἰνὸς ἡ συμβαλεῖν, nihilominus, cum & aliunde stridor oriatur, omnium minimè frigori eundem hic adscribere possumus. Nam præterquam, quod in Sacris longè frequentius furiosam invidiam denotet, sicut Prov. XIX. 12. *comminatio regis similis βρυμὸν λιόντος*. & Act. VII. 54. Judæi βρυχίαι τὰς ὀδόντας ἐπιτίθεισαν, præ furore dicuntur, jam olim à Doct. Calixto, de Bon. perfectè summ. p. 60. observatum est, nullum esse in Scripturâ vicissitudinis æstus & gelu in inferno futura indicium. Ignem infernalem illa ubique, nivem aut glaciem nullibi prædicat. In monachorum otiosis cellulis propullularunt fabulæ de latissimo quodam in inferno frigidissimarum aquarum receptaculo, in quod damnati, sitientes refrigerium, à dæmonibus projecti τρυμὸν ὀδόντων experiantur, etsi hoc frigus alii à terrâ, quæ damnatos circumstet, neque habeat, unde à frigiditate naturali immutari possit, provenire scribant. Restat igitur, ut ob furorem, quo semetipfos consumunt damnati, & invidiam, quâ salvatorum fortunam intuentes disrumpuntur, & indignationem, quâ anteaetæ vitæ stultitiam effrenatâ insaniam detestantur, & odium, quo severi iudicis iram prosequuntur, stridere dicamus. At verò hæc singula portentosa peccata esse, nemo inficiatur. D. Mart. Chemnitius, in Harm. c. LIII. p. 535. eleganter: *stridor dentium significat vel horrorem ex conscientia cogitationibus, invicem se accusantibus, ut D. Paulus innuit, Rom. II. 15. Scriptura alibi vocat vermem perpetuò rodentem & non moriturum. Es. LXVI. 24. Marc. IX. 44. vel significat acerbissimam indignationem*



nem & murmuracionem ex impatientiâ ortam. Ita enim stridere dentibus usurpatur. Ps. XXXV. 16. XXXVII. 12. CXII. 8. Thren. II. 16. Act. VII. 54. Ultraque verò significatio huic loco convenit. Hæc sine dubio vera est sententia. Ineptum enim est, quod quidam ex hac phrasi fabulantur, ardorem inferni fumo suo excitare sletum oculorum & tantum ibi esse frigus, ut dentes præ frigore strideant. In cujus incomparabilis viri verbis profus acquiescimus.

LV. Quintum decimum argumentum tenebræ exteriores, quibus involventur damnati, præbent. Ubique S. Literarum in tenebris esse damnati dicuntur. Matth. IIX. 12. XXII. 13. XXV. 30. & quidem in caligine tenebrarum. II. Petr. II. 17. Ep. Jud. v. 13. id est, in tenebris verè stygiis & Ægyptiacâ nocte densioribus. Nolumus occupari in recensendis veterum interpretationibus, quarum pleræque omnem vim illius vocis non exhauriunt. Hoc duntaxat cum D. Gerharo, Loco de Inf. §. 44. dicimus, quousque vocis usus patitur, neque Sacræ Literæ aut fidei analogia prohibet, tenebras damnatis applicandas esse. Id enim jubet vera interpretandi ratio. Sunt tenebræ naturales: Ergo lumine carebunt damnati & igne utentur non nisi fumido & tenebricoso, per quem propriam solum calamitatem cum horrore possint adspicere. Isidorus libro I. sentent. c. XXV. Ignis gehennæ ad aliquid lumen habet & ad aliquid non habet; hoc est, habet lumen ad damnationem, ut videant impii, unde doleant, & non habet ad consolationem, ne videant, unde gaudeant. Sunt tenebræ metaphoricæ, calamitates hujus vitæ & multiplices miseras signantes; ergo ab omni felicitate & gaudio exulabunt damnati. Prosper Aquit. libro III. de vitâ contempl. c. XII. Damnatorum continuus gemitus, cruciatus æternus, dolor summus, pœnalis sensus, torquent animos, nec extorquent, puniunt corpora damnata, nec finiunt. Sunt denique tenebræ spirituales intellectus & voluntatis; ergo destituentur damnati salvari DEI cognitione, neque illuminati erunt mysteriorum Divinorum notitiâ. Hæc ignorantia tenebræ dicuntur. Eph. V. 8. Ergo sanata non erit perversitas voluntatis eorum & peccata, tenebrarum opera, patrabunt. Hoc enim vitiatorum nomen est. Eph. V. 11. Joh. III. 19. XII. 35. Rom. XIII. 12. I. Thess. V. 4. Origenes, libro II. de Princ. c. XI. p. 708. Exteriores tenebras, ut ego opinor, non tam ærem aliquam obscurem & sine lumi-

ne



ne intelligendum puto, quam de his, qui profunda ignorantia tenebris immersi extra Divina intelligentia lumen effecti sunt. Et sicut sancti corpora sua, in quibus sancte & pure in hujus vite habitationibus vixerunt, lucida & gloriosa ex resurrectione suscipient: ita & impii quiq; qui in hac vita errorum tenebras & ignorantia dilexerunt, obscuris & tetris post resurrectionem corporibus induantur, ut ea ipsa caligo ignorantia, qua in hoc mundo interiora eorum mentis obsederat, in futuro per exterius corporis appareat indumentum. Joh. Chrysostr. Homil. LIII. in Matth. Si in tenebras exteriores mittuntur, qui accepto verbo fidei carnaliter vivendo fructum justitiae non fecerunt: putas, in quales tenebras sunt ituri, qui ipsum talentum fidei peccando perdididerunt . . . . . Vide igitur, quomodo in hac parabola peccatorem non in ignem, nec in aliquam poenam, sed tantum in tenebras exteriores mitti precepit: in illa autem cum venerit in majestate Patris, jam non tantum in tenebras exteriores, sed & in ignem mittetur & poenas . . . . . Et in tenebras exteriores dixit, ut hereses intelligamus, praeter ceteris plus tenebrosas. Aut certe, quamdiu quidem peccator mala operatur, aut cogitat, in tenebris est, sed in tenebris propinquieribus, quando autem in haeresin quandam projicitur, tunc projicitur in tenebras exteriores. Augustinus Tom. II. Ep. CXX. ad Honorat. c. XXI. Judaei modo sunt in exteris tenebris, unde correctio desperanda non est, quam si contempserint, ibunt in tenebras exteriores, ubi correctionis locus non erit. Quoniam DEUS lux est, & tenebrae non sunt in eo ulla. Et DEUS caritas est. Ac per hoc, si DEUS lux est, & DEUS caritas est, profecto caritas lux ipsa est, qua diffunditur in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Item dicit: qui odit fratrem suum, in tenebris est usque adhuc. Ista sunt tenebrae, in quas diabolus & angeli ejus multum superbiendo progressi sunt . . . . . Diabolus igitur & angeli ejus a luce atque fervore charitatis aversi & nimis in superbiam invidentiamque progressi, velut glaciali duritia torpuerunt. Tom. IIX. Enarr. in Ps. VI. ad verba: turbatus est ab ira oculus meus; notat: utrum sua, an DEI, in qua petit, ne argueretur, aut corripueretur? Sed si illa diem judicii significat, quomodo nunc potest intelligi? An inchoatio ejus est, quod hic homines dolores & tormenta patiuntur & maxime damnium intelligentia veritatis, sicut jam commemoravi, quod dictum est; dedit illos DEUS in reprobum sensum. Nam ea est caecitas mentis. In eam quisquis datus fuerit, ab interiore DEI luce secluditur. Sed nondum penitus, cum in hac vita est. Sunt enim tenebrae exteriores, quae magis ad diem judicii pertinere intelliguntur. Ut

pe-



penitus extra DEum sit, quisquis, dum tempus est, corrigi noluerit. Dextus enim extra DEum esse, quid est, nisi esse in summa coecitate? Siquidem DEUS habitat lucem inaccessibilem, quo ingrediuntur, quibus dicitur: intra in gremium Domini tui. Hieronymus in Matth. II. X. Tenebrae semper interiores sunt, non exteriores. Sed quoniam, qui à Domino foras expellitur, lumen relinquit, idcirco exteriores tenebrae nominatae sunt. Prosper Aquit. III. de Vit. Cont. c. XII. In exteriores tenebras mitti, nihil aliud est, nisi à Domino, qui est mentium lumen, expelli. Ambrosius libro VII. in Luc. c. XIV. Quae sunt tenebrae exteriores? Nunquid illic quoque carcer aliquis latumneque subeunda sunt? Minime. Sed quicumque extra promissa sunt caelestium mandatorum, in tenebris exterioribus sunt, quia mandata DEI lumen sunt. Et quicumque sine Christo est, in tenebris est, quia lumen interiorius est Christus. Innocentius libro III. de Cont. M. c. IV. Reprobi non solum exterioribus, sed etiam interioribus tenebris involventur, quia spirituali pariter & corporali luce carebunt. Scriptum est enim: tollatur impius, ne videat gloriam DEI, qui solus tunc erit in lucem sempiternam. Haec tanta sanctissimorum Patrum caterva tenebras damnatorum de defectibus intellectus & voluntatis, quae vitia & peccata sunt, interpretatur. Nec hodie Christianorum Theologorum facile quisquam ad corporales duntaxat tenebras restringere audeat, quas à sacris scriptoribus caliginem tenebrarum. II. Petr. II. 17. hoc est, consuetudine phrafi, omnis generis horrendas tenebras, & omnes tenebras, Job. XX. 26. h. e. intrepere venerando Praeceptore meo D. Sebast. Schmidio, ad h. l. plenissimas tenebras, tenebras, in quibus aliae tenebrae omnes concurrunt & coacervantur, cuiusmodi sane sunt tenebrae infernales, appellatas esse sciunt. Est enim in tenebras exteriores conjici, à Deo, mentium lumine, expelli & visione DEI beatificam privari. Sicut ergo haec visio intellectus est & voluntatis: ita & privatio. Privari autem intellectum & voluntatem debitis perfectionibus, peccatum est.

LVI. Sextum & decimum argumentum à morte secundam sumitur, quam de damnatis Scriptura praedicat. Apoc. XXI. 8. Timidis autem & incredulis & execratis & homicidis & fornicatoribus & veneficis & idololatriis & omnibus mendacibus, pars illorum erit in signo ardenti igne & sulphure, quod est mors secunda. Ejusdem etiam mentio injicitur Ap. II. II. XX. 6. 14. In eadem Apocalypsi c. IX. 6. aliquam sui parte



describitur: Et in diebus illis quærent homines mortem & non inveni-  
 eam, & desiderabunt mori & fugiet mors ab eis. Joh. Chryostomus,  
 Hom. XXV. in cap. Matth. X. isthoc termino in genere æternam  
 damnationem exprimi censet: *Secunda mors*, inquit, *est ignis & sul-*  
*phur.* Vides ergo, quia per damnationem animæ non dicit ipsam solutionem  
 animæ, sed cruciationem gehennæ, quæ est mors secunda. Causam hujus  
 appellationis reddit Augustinus, in Enchiridio ad Laur. c. XCII.  
 Non moveat, inquiens, quomodo in damnatis erit corpus incorruptibile, si do-  
 lere poterit, aut quomodo corruptibile, si mori non poterit. Non est enim vera  
 vita, nisi ubi feliciter vivitur: nec vera incorruptio, nisi ubi salus nullo dolo-  
 re corrumpitur. Ubi autem infelix mori non finitur, ut ita dicam, mors ipsa  
 non moritur. Et ubi dolor perpetuus non interimit, sed affligit, ipsa corru-  
 ptio non finitur. Hæc in sanctis scripturis secunda mors dicitur. Sed verò  
 hæc vim vocis nondum exhauriunt. Quare is idem Augustinus,  
 Libr. XIII. de Civ. Dei, c. II. paulò accuratius in hanc rem inquiri,  
 ubi inter alia: Illa pœna ultima & sempiterna rectè mors animæ dicitur,  
 quia non vivit ex DEO; mors autem corporis, quoniam modo, cum vivat ex  
 animâ? Non enim aliter potest ipsa corporalia, quæ post resurrectionem fu-  
 tura sunt, sentire tormenta. An quia vita qualiscunque aliquod bonum est,  
 dolor autem malum? ideo nec vivere corpus dicendum est, in quo anima non  
 vivendi causa est, sed dolendi? Vivit itaque anima ex DEO, cum vivit bonè:  
 non enim potest bonè vivere, nisi Deo operante in se, quod bonum est. Vivit  
 autem corpus ex anima, cum anima vivit in corpore, seu vivat ipsa, seu non vi-  
 vat ex Deo. Impiorum namque in corporibus vita non animarum, sed corpo-  
 rum vita est, quam possunt eis animæ etiam mortuæ, hoc est, à DEO deservitæ,  
 quantulacunque propria vita, ex quâ etiam immortales sunt, non desistente  
 conferre. Verum in damnatione novissimâ, quamvis homo sentire non desi-  
 nat, tamen quia sensus ipse, nec voluptate suavis, nec quiete salubris, sed dolore  
 pœnalis est, non immeritò mors est potius appellata quam vita. Ideo autem  
 secunda, quia post illam primam est, quâ fit coherentium diremptio naturarum,  
 sive DEI & animæ sive animæ & corporis. De primâ igitur corporis morte  
 dici potest, quod bonis bona sit, malis mala. Secunda verò sine dubio, sicut nul-  
 lorum bonorum est, ita nulli bona. Vides hic clarissimè, secundam  
 mortem & animæ esse & corporis & ratione animæ in separatio-  
 ne ejus à Deo, ratione corporis in doloribus ejusdem & cruciati-  
 bus constitui, juxta Martialis effatum:

Non



*Non est vivere vita, sed valere.*

Quod idem illustrissimus Pater allegato libr. XIII. de Civ. D. c. XII. cui titulus est: *Quam mortem primis hominibus DEUS, si mandatum ejus transgredierentur, fuerit comminatus?* luculentissime prodidit, cum scripsit: *Cum ergo requiritur, quam mortem fuerit DEUS primis hominibus comminatus, si ab eo mandatum transgredierentur acceptum, nec obedientiam custodirent: utrum animæ, an corporis, an totius hominis, an illam, quæ secunda dicitur? respondendum est: omnes. Prima enim constat ex duabus, secunda ex omnibus tota. Sicut enim universa terra ex multis terris & universa Ecclesia ex multis constat Ecclesiis, sic universa mors ex omnibus. Quoniam prima constat ex duabus, unâ animæ, alterâ corporis, ut sit prima totius hominis mors, cum anima sine DEO & sine corpore ad tempus pœnas luit: secunda verò, ubi anima sine DEO cum corpore pœnas æternas luit. Quando ergo dixit DEUS primo illi homini, quem in paradiso constituerat, de cibo vetito: *Quacunque die ederitis ex eo, morte moriemini;* non tantum primæ mortis partem priorem, ubi anima privatur DEO; nec tantum posteriorem, ubi corpus privatur animâ; nec solum ipsam totam primam, ubi anima & à Deo & à corpore separata punitur: sed quicquid mortis est, usque ad novissimam, quæ secunda dicitur & quæ est nulla posterior, comminatio illa complexa est. Ex quo apparet, Lambertum Danæum, diligentissimum cæteroque Augustini lectorem, mentem & angelicam viri non affecutum esse, cum in observatione ad Enchiridii cap. XCII. n. 4. *Mors prima, scribit, mors corporis dicitur. Mors secunda, mors animæ, quæ est privatio amoris Dei. Est enim sensus iræ ejus in nos acerbissime.* Nam juxta Augustinum secunda mors aut totaliter sumitur, pro omnî eâ pœnâ, quam DEUS primis nostris Parentibus interminatus est, & tum complectitur partim mortem corporis propriè dictam, quæ est dissolutio animæ & corporis, partim mortem animæ, quæ est dissociatio animæ à DEO, partim verò mortem corporis impropiè dictam, nempe cruciatus æternos: aut partialiter, pro eâ tantum pœnæ parte, quam in inferno demum, post mortem corporis toleratam, passuri sunt damnati, & tum hanc corporis mortem excludit. Quo sensu intelligendum est, cum Augustinus capite antecedente XI. secundam mortem ita describit: *Secunda mors est gravior & omnium malorum pessima, quæ non fit separatione animæ & corporis, sed in æternam pœnam potius utriusque complexa.* Ibi è contrario non*



erunt homines ante mortem, alique post mortem, sed semper in morte: ac per  
hoc nunquam viventes, nunquam mortui, sed sine fine morientes. Nunquam  
enim erit hominis peius ei morte, quam ubi erit mors ipsa sine morte. Et libro  
XX. de Civitate Dei, c. XXIX. Eorum, qui non pertinent ad istam ci-  
vitatem DEI, erit è contrario miseria sempiterna, quæ etiam secunda mors di-  
citur, quia nec anima illi vivere licenda est, quæ à vitâ DEI alienata erit, nec  
corpus, quod æternis doloribus subiacet. Ac per hoc idem durior ista secunda  
mors erit, quia finiri morte non poterit. Ex hæcenus dictis ita collige-  
re licet: Secunda mors ea est, quam peccato, tanquam pœnam, in-  
venimus à se DEUS. At illa mors, illaque pœna extra dubium  
omnis generis mortes & pœnas comprehendit. Nominatim au-  
tem vocationem & separationem à DEO. Nam iniquitates nostræ di-  
vidunt inter nos & DEUM nostrum & peccata nostrâ abscondunt faciem  
eius à nobis, ne exaudiat. Ef. LIX. 2. Separamur autem à DEO va-  
riis modis; partim, ut est lumen intellectus nostri; & tum vaga-  
mur in tenebris, in vanitate sensus nostri, caligine obscuratum habentes in-  
tellectum, per ignorantiam, quæ in nobis est, propter cæcitate cordis nostri.  
Eph. IV. 17. 18. partim, ut est vita voluntatis nostræ, eandem ad  
bonas operationes movens & sollicitans; & tum alienati sumus à vi-  
tâ, quæ ex DEO est & abicientes spem nostram tradimus nosmetipsos lasciviam,  
ad certatim peccandam impuritatem omnem. Eph. V. 18. 19. partim, ut  
est summum animi nostri bonum & gaudium; & tum oppleti su-  
mus omni iniquitate & amaritudine & malitiâ & invidia & eade & conten-  
tione & dolo & cogitationibus malis & murmuratione & obreclatione, odio  
habentes DEUM, contumeliosi, inflati, superbi, inventores malorum, destituti  
mente. Rom. I. 29. 30. partim denique, ut est felicitas nostra; &  
tum à facie DEI absconditi in dolores corporis, angoresque con-  
scientiæ diuturnos, maximosque projecimur: mœrore animi consu-  
nimur in corde nostro & inimicus noster atollit se contra nos. Psal. XIII. 3.  
His tot tantisque modis à Deo divellimur. Qui igitur secundam  
mortem hac postremâ duntaxat à Deo, vitâ nostrâ, divulsione desi-  
niunt, veluti cum D. Luc. Osiander, ad Ap. XX. 14. scribit: Mors  
secunda vocatur æterna damnatio, non quod damnati post resurrectionem iterum  
sint morituri; sic enim finis esset ipsorum cruciatuum, sed quod perpetuâ  
conscientiæ & corporis tormenta sui instar acerbissima mortis futura, ita qui-  
dem, ut singulis momentis moriantur, nec tamen mori possint: omnium

mi-



minimè expriment earum pœnarum, quæ peccatis nostris ex  
 comminatione Divinâ debentur, longe graviozem autem cumu-  
 lunt, & qui hac in vitâ peccantes premit, nedum in alterâ, omit-  
 tunt. At verò rectæ interpretationis regula est, quamlibet vocem  
 eâ in amplitudine exaudiendam esse, in quam frequens ejusdem  
 usus eandem deposuit, donec aliunde, id fieri non posse, pateat.  
 Præcipua pars earum mortium, ut ita loquar, quas secunda mors  
 secundum Augustinum includit, est mors spiritualis, seu separa-  
 tio à Deo, ut est illuminatio intellectus nostri & voluntatis sancti-  
 ficatio. Hæc autem separatio peccatum est. Egregiè Bernhar-  
 dus, Serm. X. in Psalm. *Qui habitat: Vera anima vita DEI S est:*  
*& inter hæc separat malum, sed malum animæ, quod non est aliud, quam pec-*  
*catum . . . . . Hoc malum, quod suâ quidem animâ animam privat,*  
*quod separat inter te & DEUM: ut eo regnante, tanquam corpus sine animâ,*  
*sic sit anima sine DEO, planè mortua in semetipsâ, instar unius eorum, quos*  
*tanquam sine Deo in hoc seculo fuisse, Apostolus memorabat, Quâ ratione*  
*moti alii verbis: morte moriensini, animæ potius, quam corporis*  
*intelligere mortem. Philo. Judæus doctissimus, libro I. Alleg.*  
*Leg. sub fin. ex interpretatione Sigism. Gelenii, pag. 39. Dicen-*  
*dum, quod licet esse mortem, alteram hominis, alteram animæ propriam. Ho-*  
*minis mors est anima à corpore separatio, animæ vero mors corruptio virtutis*  
*& assumptio vitii: idèoque non contentus, moriturum, dicere, morte, inquit,*  
*morieris: metens non communem hanc, sed illam aternam, quæ per excel-*  
*lentiam mors dicitur, quæ est, quoties anima insepelitur affectibus, vitii que*  
*omnibus. Atque hæc mortes sunt inter se fere contraria. Nam illa corpus*  
*animamque, quæ prius concreta fuerant, separat, hæc contra utrisque conveni-*  
*entibus sit, sed præpollente deteriore, videlicet corpore, subjecta verò anima,*  
*quæ est pars potior hominis. Quoties autem dicit, morte mori, observandum,*  
*penalem mortem, non naturalem significari, (quæ profecto observatio*  
*inductione nititur:) Naturalis porro est, per quam anima separatur à*  
*corpore: penalis verò, cum anima è virtutis vitâ emoritur & vivit in vitâ vi-*  
*ti. Quem ex Christianis sequitur, Lugdunensis in Galliâ Epi-*  
*scopus, Eucherius, libro I. in Gen. c. XVII. p. 19. Mortem dicit ani-*  
*mæ, non corporis, quia non eo tempore mortui sunt, quo comederunt. Ergo*  
*hanc quam Deus homini minatus est mortem, non eam tantum debemus acci-*  
*perere, quâ caro separatur ab animâ, sed hanc, quâ hæc alienatur à DEO, qui*



est vita sua. Sicut enim corpus vivit ex animâ, ita anima, ut beatè vivat, vivit ex DEO. Ergo deserta à DEO anima, jure dicitur mortua. Ex quâ tres postea secuta sunt mortes, prima in animâ, secunda in carne, tertia in damnatione. Quamquam de omni omnino morte rectius comminatio Divina exponatur, quam sententiam, ut ait ad Augustini XIII, de Civ. Dei XII, Leonh. Coquæus, amplectuntur omnes Theologi; provocatque ad Pererium & Bellarminum, hoc uberius probantes. Non abs re erit, unum alterumque, non sine ratione disferentem, audire. Jo. Calvinus, Comment. in Genes. p. 19. Quæritur, quam mortis speciem intelligat Deus hoc loco? Mibi definitio petenda ex opposito videtur: tenendum, inquam, est, ex quâ vitâ homo exciderit? Erat omni ex parte beatus: ided ejus vita ad corpus & animam pariter spectabat. Quum in ejus animâ vigeret rectum judicium & justa affectuum moderatio, illic quoque vita regnabat: in corpore nullum erat vitium, quare totus à morte erat immunis. Terrena quidem illi vita fuisset temporalis, in cælum tamen sine interitu & illesus migrasset. Nunc mors ided horrore nobis est, primum, quia quedam est exinanitio secundum corpus, deinde, quia Dei maledictionem sentit anima. Videndum etiam, quæ sit mortis causa, alienatio scilicet à Deo. Inde sequitur, mortis nomine comprehendi miseras omnes, quibus se Adam per defectionem suam implicuit. Simul enim ac defecit à DEO, vitæ fonte, dejectus fuit è priore statu ut sentiret hominis vitam sine DEO miseram esse ac perditam, adeoque nihil differre à morte. Quare non interitio & vitæ privatio & mors vocatur hominis conditio post peccatum. Ærumna & malum anime, tum corporis, quibus obsidetur homo, quândiu in terrâ degit, quoddam sunt mortis atrium, donec mors ipsa illum penitus absorbeat; Mortuos enim Scriptura passim nominat, qui peccati & satana tyrannide oppressi, nihil quam interitum suum spirant. Quare supervacua est quæstio: quomodo minatus fuerit Adæ Deus mortem, quo die fructum attigisset, quum penam in longum tempus distulerit? Nam tunc morti addictus fuit Adam & mors regnum suum in eo inchoavit, donec remedium afferret superveniens gratia. Ex quibus ita inferre licet: Qualis fuit ante lapsum vita Adami, in innocentia statu vi imaginis ei indita agenda, talis fuit è contrario post lapsum mors, quippe nihil aliud, nisi præcedentis vitæ privatio. At illa in genere quidem naturalis fuit, in specie autem ex concreatâ imagine spiritualis, aliquando in gloriosam ex Dei voluntate convertenda. Ergo talis vitæ privatio è contrario mors



mors erat, quam interminatus est Deus. Jam porrò : quam vitam primævus homo ante peccatum ex beneficio divino duxit, eâ per peccatum ex judicio Divino spoliatus est. At duxit vitam naturæ, quæ in animæ corporisque combinatione, mediante æquabili, ne quidquam ad intra naturam destrueret, temperamento, consistebat; duxit vitam gratiæ, quæ cognitione Dei, ut summum bonum est, ejusdemque amore, sine omni defectu perfectissimo, constabat; duxit vitam gloriæ, saltem spe, dum de translatione in vitam alteram, sine ampliori mutatione æternum agenda, nihil dubitabat. Ergo amisit vitam naturalem, quæ ex vitioso temperamento morbis omnibus & casibus obnoxia tandem debitum solvit & morti succumbit. Ergo perdidit vitam gratiosam, quæ nunc in tenebris ignorantie mentis & caligine malorum voluntatis operum peragenda est. Ergo spe melioris quondam vitæ orbatus in interminabiles barathri desperationes precipitatus est. Eadem cum *ἰουδαίου* Jo. Brentius, ad h. l. Quid est, inquit, quod Deus prohibendo esum de fructu hujus arboris, addit tam grave, tam severum supplicium? Quocunque die, inquit, comederis, morte morieris. Quæ verba hanc habent sententiam. Nunc quidem tu Adam felix es, unâ cum omni posteritate tua. Conditus enim es ad imaginem nostri similem: justus & tranquillus es animo, sanus & vegetus corpore. Nihil rerum vel necessariarum vel delectabilium tibi deest. Et cum peregeris cursum periodi corporalis tuæ vitæ, transfereris sine omni molestia imo maximâ alacritate in vitam spirituatam & celestem. Sed hoc edico tibi, si comederis de fructu hujus arboris, tunc primum omnium auferetur à te & omni posteritate tua Spiritus Sanctus & eris injustus, nec habebis ullam animi pacem & tranquillitatem. Deinde obruent te corpore omnia genera morborum & afflictionum, donec advenerit tempus translationis tuæ. Tunc enim discedes ex hoc mundo, non jucunda immutatione, sed horribili morte, quâ ingredieris, non in celestem beatitudinē, sed infernalem & perpetuam infelicitatem. Corpus tuum putrescet in terrâ & cum postea excitatum fuerit, conjicietur unâ cum anima in perpetuas flammâs inferni. Martinus Borrhaus, haud infelix S. Literarum interpret, mortem primis Parentibus nostris, si peccarent, prænunciatam, per peccati originalis corruptionem, quæ illis omnibus hæret, qui primævâ innocentiam carent, quos inter & damnati sunt, interpretatur: Certitudo, ait, *οραculὸν ἰουδαίου* indicatur. Accipitur

hic



hic & h. e. certum mortalis fortis decretum. Nam statim ut vitius cibis in viscera dejectus est, mortalis conditio primos parentes invasit, corpore vergente ad interitum semel inductum. Corruptum corpus, exitialis labes, totam naturam vitians consecuta est. Hac est horrenda pernicies peccati originalis, quod iustitiam, id est, universam integritatem primi status labefecit atque everit. Jam si DEUS homini primo, cum lapsus esset, spem nullam facere reparationis voluisset, tunc sine dubio hanc ipsam poenam, quæ ipsa infernalis est, subiisset. Et si vel maximè in hac etiam vitâ aliquousque perseverasset, generassetque liberos, quidam eorum, ad quos eadem damnatio pertinebat, ab utero mortui, eandem necessariò sustinuisent in inferno, cum hic ex temporis brevitate sustinere non potuerint. Elegans est apud S. Ambrosium libr. de Paradis. c. IX. Tom. IV. opp. p. 103, comparatio phrasium: vitâ vivere, & morte mori. Puto, inquit, secundum Scripturas, quia vitâ vivere admirabilem quandam illam vitam, beatamque significet, & hunc vivendi usum spirandi que munus cum beata vitæ gratiâ veluti junctum & quadam participatione permixtum demonstrare videatur. Hoc est enim vitâ vivere, virtute vivere, beata vitæ actus habere in istius corporis vitâ. Contra autem morte mori, quid est aliud, nisi cum morte corporis deformitatem significare morientis, cuius & caro communi vivendi munere defraudetur & anima vitæ æternæ usum habere non possit? Morte igitur mori, quæ peccati poena est, in inferno non perdurans tantum, sed incrementa etiam sumens, est virtute non vivere, id est, vitiiis comaculari, & usum vitæ æternæ, qui in bene agendo consistit, non habere. Adde August. sub finem lib. XIX. de C. D. querentem: quoniam sicut miseria beatitudini & mors vitæ, ita bellum paci videtur contrarium, sicut pax in bonorum finibus predicata est, atque laudata, quod vel quale bellum in finibus malorum è contrario possit intelligi? Qui sibi responderet: Qui hoc querit, attendat, quid in bello noxium, perniciosumque sit? & videbit, nihil aliud esse, quam inter se rerum adversitatem atque conflictum. Quod igitur bellum gravius atque amarius cogitari potest, quam ubi voluntas sic adversa est passioni & passio voluntati, (peccatum autem est, passioni iustæ ex voluntate Divinâ inflictæ adversari:) ut nullius earum victor: tales inimicitie finiuntur, & ubi sic conflictat cum ipsâ naturâ corporis vis doloris, ut neutrum alteri cedat? Hic enim quando contingit iste conflictus, aut dolor vincit & sensum mors adimit, aut natura perdurans vincit & dolorem sanitas tollit. Ibi autem & dolor permanet, ut affligat, & natura perdurat, ut sentiat, quia utrumque idè non deficit, ne poena deficiat.



LVII. Decimum & septimum argumentum, votum & desiderium damnatorum conficit, quo vellent se non esse seu in nihilum redigi. Rem ita sese habere, multis gravissimisque rationibus doceri potest. Nam primò sanctissima Scriptura hoc damnatis desiderium exertis verbis tribuit. *In diebus illis quærent homines mortem & non invenient eam & desiderabunt mori & fugiet mors ab eis.* Apoc. IX. 6. De proditorè suo Christus: *Va homini illi, per quem filius hominis tradetur; bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille.* Matth. XXVI. 24. De iis, qui in hoc seculo non nisi adversa patiuntur fata, Ecclesiastes: *Verti me ad alia & vidi calumnias, quæ sub sole geruntur & lacrymas innocentium & neminem consolatorem, nec posse resistere eorum violentiæ, cunctorum auxilio destitutos.* Et laudavi magis mortuos, quam viventes; & feliciorum utroque judicavi, qui nec dum natus est, nec vidit mala, quæ sub sole fiunt. Eccl. IV. 1. 2. 3. Quæ dicturos esse Judæos, cum in obsidione urbis ineffabilem infortuniorum acerbissimam experiri essent, prædixit Christus: *tunc incipient dicere montibus: cadite super nos, & collibus: operite nos.* Luc. XXIII. 30. quasi ingens periculum terræ montiumque hiatu, tanquam præsentaneâ sui annihilatione, depulsuri, in damnatos hoc verius conveniunt, quo atrocius illi punientur, quoque majori furore adversitatem hanc declinaturi sunt. Deinde hoc amplius confirmant Ecclesiæ Patres. Augustinus libro I. de Miseriâ hujus mundi, loquens de damnatis: *O mors, quam dulcis esses, quibus tam amara fuisti. Te solum desiderant, qui te vehementer oderunt.* Libro XXI. de Civ. Dei, c. 2. *Non nulla sed sempiterna mors erit, quando nec vivere anima poterit, Deum non habendo, nec dolore corporis carere moriendo. Prima mors animam nolentem pellit de corpore, secunda mors animam nolentem tenet in corpore. Ab utraque morte communiter id habetur, ut quod non vult anima, de suo corpore patiatur.* Bernhardus in Canticis de damnato: *In æternum non obtinebit, quod vult, & tamen, quod non vult, in æternum sustinebit.* Hinc & ad Scholasticos Doctores profluxit quaestio, quam omnes propemodum discutiunt: *An damnati voluntate deliberata malint non esse quam sic esse? Quam licet pro more in utramque partem productis rationibus ventilent, nemo tamen inficiatur, de facto verum esse, quod damnati non esse desiderent & optent. Bonaventura; Dicunt aliqui, quod damnati mallent non esse, quam sic esse: Sed appetitus eorum est inordinatus & indiscretus & phantasticus, quia sibi nocivum appetit. Sicut est appetitus febricitantis, qui non ve-*



nit ex natura sed ex phantastica imaginatione, quia existimat sibi prodesse, quod nocet sibi. Sic damnati, quia existimant, se habere quietem, si omnino non essent, appetunt magis non esse, quam esse in penis. Et hoc est, quod dicit Hieronymus: quod melius est non vivere, quam male vivere. Ideo dicendum aliter, quod non esse nullo modo est appetendum appetitu ordinato & recto; similiter nec esse damnatum, nec esse infelicem. Et si horum aliquid appetatur, phantasticus est appetitus, non ordinatio naturae. Sed utrumque horum fugiendum. Et cum se habeant, ut excedentia & excessa, utrumque altero magis fugiendum diversis considerationibus. Quia enim non esse adimit totum bonum, poena partem, ideo hoc magis fugiendum. Simpliciter tamen loquendo, quia corruptio in non esse in infinitum excedit poenam intensivè, infinitum inquam secundum proportionem, poena verè extensivè in infinitum secundum veritatem, ideo credo magis appetendum esse, si poneretur in optione, omnino non esse, quam eternaliter torqueri. Loquor de appetitu, qui refugit in commodum. Hoc enim judicat mens mea magis portabile, sicut decollationem magis, quam diurnam ignis adustionem. Veruntamen secundum appetitum honesti, quia cruciatus iniqui spiritus est ad gloriam Dei, utique malle deberet ignibus subjacere ad continuam Dei laudem, quam per omnimodam corruptionem manum Dei effugere. Concedo ergo, quod damnati mallent non esse: & omnis homo debet illud appetere consideratâ gravitate utriusque poene. Non tamen dico, quod sit magis appetendum simpliciter, tamen ipsi simpliciter magis appetunt. Thomas Aquinas, Part. III. S. Th. Q. XCIIII. art. III. Dicendum, quod non esse potest dupliciter considerari, uno modo secundum se; & sic nullo modo est appetibile, cum non habeat rationem boni, sed sit boni pura privatio. Alio modo potest considerari, in quantum est ablativum poenalis vitae, seu alicujus miseriae, & sic non esse accipit rationem boni: carere enim malo est quoddam bonum, ut dicit Philosophus in quinto Ethicorum; & per hunc modum melius est damnatis non esse, quam miseros esse. Johannes Scotus, Dist. L. Ad secundam questionem, ait, quâ queritur, utrum damnati appetant non esse, respondeo: ista quaestio est de facto vera. Et dico, quod sunt obstinati & perversi, quantum ad utrumque actum: & licet displiceat eis culpa, in quantum vermis, non tamen in quantum culpa, præcipue demonum. Petrus de Aquilâ: Ad questionem, an damnati appetant non esse? dico, quod sunt obstinati & perversi, quantum ad malum culpe & quantum ad malum poene. Et ideo, quantumcumque displiceat eis culpa, in quantum vermis eorum non moritur, non tamen, in quantum culpa: juxta illud

lucid



lud, superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper. Et ideo propter istam maximam superbiam non appetunt non esse. Dico tamen, quod secundum rectam rationem, ne quis talem actum eligeret, debet sibi plus placere, à DEO annihilari. Si autem queratur, an appetunt non esse, propter penam vitandam? potest dici, quod appetunt. Quia non esse non est malum, sicut ab aeterno non fuit malum. Sed poena & miseria est malum simpliciter, & ideo simpliciter nolenda, quia est contra appetitum naturalem. Gabriel Biel, ff. Sent. d. VII. Angelus malus non potest carere actu malo, quia non potest non velle beatitudinem, quam DEus ei non vult dare, non potest velle poenam, quam Deus vult infligere, nec velle esse in tali loco, in quo Deus ipsum vult esse. Quæ ipsa sententia ratione quoque confirmatur. Quamquam enim, ut Scotus ait, præ superbiâ, vel, ut alii, præ animi obliuinatione damnati nolle malum culpæ aut detestari non poterunt, quin potius quandam ex eo sive vindicationem sive delectationem quamcunque aliam captaturi sunt, poena tamen longè major erit, quam ut æquiparari huic delectationi & efficere possit, ut quis delectationem brevem præferat supplicio gravi & diuturno. Id quod Bonaventura his argumentis proponit: Major est tristitia ex poena, quam delectatio ex culpa, quia modicum habent gaudium & magnam tristitiam. Ergo si electio tortionis prælegit fugam magis nocivi desiderio minus delectabilis, ut patet de illo, qui vult lucrari argentum & fugit mortem, videtur, quod damnati malint omnino non puniri, quam esse. Item, si cederent in non esse, poena esset momentanea, sed poena cruciatus ipsorum est aeterna. Ergo si poena momentanea præferenda est aeterna, sicut finitum infinito, videtur, quod damnati omnino malint non puniri, quam esse. Quæ cum ita se habeant, sicut habere nemo amplius dubitat, peccabunt actu damnati, appetendo id, quod voluntati Divinæ repugnat, quæ & esse illos vult & in æternum puniri. Quod adeo verum est, ut Scotus scribat: Velle se annihilare, quantum in se est, est peccatum mortale & gravissimum peccatum post peccatum, quod est Deum odire. Unde post odium Dei, quod est primum & maximum peccatum, velle se non esse est secundum peccatum.

LIX. Decimum & octavum argumentum, difformitas damnatæ voluntatis à voluntate Divinâ præbet. Hæc citra omne dubium regula est & norma omnis honestatis, omniumque bonarum actionum. Voluntas enim Dei verè pro lege est, à quâ quic-



quid ullâ ratione recedit, peccati naturam indolemque induit. Jam verò apud Theologos videas non sine ratione de damnatis disputari: velle damnatos omnes secum eodem damnationis supplicio involutos. Id quod Bonaventura his argumentis adstruit: Ostenditur hoc 1. per illud, quod communiter consuevit dici: solacium est miseris, socios habuisse poenarum. Item 2. per illud, quod dicitur, Es. XIV. v. 9. 10. Omnes principes terre surrexerunt de solis suis, omnes principes nationum. Universi respondebunt & dicent tibi: & tu vulneratus es, sicut & nos, nostri similis effectus es. Glossa: solacium est malorum, multos socios habere poenarum. 3. Ex Augustino de Catechiz. rudibus: Castus esto, ne tibi aliunde hostis surrepat, quia solacium malivolentissimum sua voluntatis, cum quibus damnetur, inquit. Ergo illud est solacium malorum. Si ergo ipsi querunt & desiderant, quod est ad solacium, patet, quod & damnati desiderent. 4. Ex ratione. Quia invidia surgit ex defectu charitatis & amore proprii boni. Sed utrumque in damnatis est. Ergo est in eis maxima invidia. Ergo si invidus nullum vellet videre bonum nec beatum: ergo damnati vellent, quod omnes unâ cum eis essent damnati magis, quam quod quidam essent damnati, quidam beati. 5. Ex eo, quod sancti & damnati ad invicem inimici sunt, propter hoc, quod damnati sunt inimici Dei. Ergo cum damnati non diligant inimicos, sed potius odiant: & qui odit alium, mallet ipsum videre miserum, quam beatum: Ergo vellent omnes damnatos. Quæ argumenta profecto, si rectè expendas, firmiter concludunt. Neque obstat exemplum divitis epulonis, qui pro fratribus suis, ne in locum tormentorum venirent, rogasse dicitur. Nam ad illud Bonaventura hunc in modum respondet: Ad illud, quod obicitur de illo divite, qui volebat fratres damnari, dicendum, quod quamvis in generali damnati nolint videre beatos aliquos, sed omnes miseros: tamen quia specialius habent aliquorum amorem naturalem & privatum, nolent ipsos damnari, aliis existentibus in statu glorie; quia etsi illi dammentur, tamen emulatio & occasio tabescendi non sic esset de omnibus. Attamen nullos inâ diligunt naturâ aliter, quin vellent eos esse damnatos, hoc pacto, quod nulli essent beati. Et exemplum patet in illis, qui habent odium capitale, qui desiderant vitam consanguineorum, attamen vellent, quod multi ex consanguineis essent mortui, ut possint affectum de inimicis suis explere. Nempè fieri nequit, ut æquis oculis adspiciant felicitatem eorum, quos vel immani odio in hac vitâ persecuti sunt, vel qui ad pedes ipsorum prostrati jacebant,

nunç



nunc autem summâ & eminentissimâ felicitate fruuntur, in quâ de hostium suorum exitio triumphant. Quod vel solum dæmonum exemplum, suo quoque dâmno hominibus hodie invidentium, sufficienter probat. Si verò quidquam amoris in eis erga illos, qui sanguine ipsis juncti fuerant, remanet, id merè naturale est, quoad bonitatem verò moris contaminatur à fine, à quo bonitatem inter cætera recipit actio moralis. Nam non ideò amant consanguineos, aut salutem eis desiderant, quia voluntati divinæ convenit, eos credere, vitamque fide dignam agere & hâc quasi viâ ad aternâ gaudia grassari, ( sic enim & cæteris sanguinem ipsorum non participantibus hæc tanta bona optarent ) sed, quia, si in easdem secum damnationis pœnas raperentur, ex hâc ipsâ societate quoddam supplicii suis, dæmonibus, damnatisque cæteris hanc ob causam ipsis insultaturis, incrementum attraheretur. vel quia, si salarentur, ex perverso iudicio persuasi sunt, fore, ut beatos hoc malè habeat, vel gaudere beati de ipsorum damnatione tantopere nequeant. Hunc in sensum Gregorius Magnus, lib. IX. Mor. cap. XXXIX. *Sequaces quoque suos, ait, secum in tormento reprobi flammâ illustrante visuri sunt, quorum amore deliquerunt: quatenus, qui eorum vitam carnaliter contra præcepta conditoris amaverunt, ipsorum quoque eos interitus in augmentum suæ damnationis affligat. Quod profectò Evangelio testante colligimus, in quo veritate nunciante, dives ille, quem contigit ad aterna incendii tormenta descendere, quinque fratrum describitur meminisse, qui Abraham petiit, ut ad eorum eruditionem mitteret, ne illuc eos quandoque venientes par pœna cruciaret. Qui igitur ad doloris sui cumulum propinquo- rum absentium meminit, constat procul dubio, quia eos, ad augmentum supplicii, paulo post potuit etiam præsentis videre. Quæ cum ita sint, peccant utique damnati, appetendo id, quod voluntati divinæ ad- versatur, quæ vult & ipsos æternum cruciari & beatos æternum salvari. Volo, Pater, quos dedisti mihi, ut, ubi sum ego, & illi sint mecum, ut videant claritatem meam, quam dedisti mihi. Joh. XVII. 24. Thomas Aquinas, summ. Theol. Part. III. Q. XCIIIX. Art. IV. Dicendum, in- quit, quod sicut in beatis erit perfectissima charitas, ita in damnatis perse- ctissimum odium. Unde sicut sancti gaudebunt de omnibus bonis: ita & ipsi de omnibus bonis dolebunt. Unde & felicitas sanctorum considerata maxime eos affligit. Unde dicitur Esai, XXVI. videant & confundantur zelantes po- puli*



*puli & ignis hostes tuos devoret. Unde vellent omnes bonos esse damnatos.*  
 LIX. Decimum & Nonum argumentum suppliciorum infer-  
 nalium interminabilis æternitas suppeditat. Gravis certè & quæ  
 multorum ingenia fatigavit, quæstio est: an conveniat Divinæ  
 justitiæ ac misericordiæ, peccata temporalia æternis pœnis affli-  
 gi? Et dubitandi ratio à meriti naturâ desumitur, ad quod inter  
 cœtera hoc etiam requiritur, ut proportio sit inter opus & illud,  
 quod operi redditur. At verò inter pœnam peccati & inter cul-  
 pam, tanquam pœnæ meritum, haud ulla apparet aut ostendi pot-  
 est proportio, cum opus malum seu contumacia finita sit duratio-  
 ne, cum citò prætereat, & finita intensioe, cum à causâ finitâ pro-  
 ficiscatur. Thomas Pr. Sec. Q. LXXXVII. Art. III. objectionem  
 hanc ita format: *Videtur, quod nullum peccatum inducat reatum æternæ*  
*pœnæ. Pœna enim justa adequatur culpæ; justitia enim equalitas est: un-*  
*de dicitur Es. XXVII. In mensurâ contra mensuram, cum adjecta fuerit, ju-*  
*dicabit eam. Sed peccatum est temporale. Ergo non inducit reatum pœnæ*  
*æternæ.* Simon Episcopus, Arminianorum quondam in Belgio  
 celebris Doctor, Responsione ad Quæst. LXII. duplicem addit ra-  
 tionem: *Primo, quod peccatum aliud alio gravius sit & malitia intra ean-*  
*dem speciem, alia major, alia minor. Datur enim inæqualitas peccatorum,*  
*non tantum ex objecti ratione, sed etiam ex malitiâ aversionis seu contemptus.*  
*Secundo, quia voluptas, quam peccator ex peccato percipit brevis est & sæpè*  
*momentanea fermè, cui dolor æternus & infinitus proportionari nequit.* Non  
 possum, quin adjungam hunc scrupulum, oratoriâ facundiâ à M.  
 Georgio Albrechto, Conc. XXXIV. de Pœn. Inf. ex cogitationi-  
 bus hominis Christiani expressum: *Ein Mensch, der nur ein mensch-*  
*lich Herz hat / (will nicht sagen ein Christ) solts doch keinem Hundt gön-*  
*nen / wann er ewig müste geschlagen und geplagt werden: Wie solts*  
*dann etnem nicht durch Mord und Wein tringen / wann er höret / daß so*  
*viel tausend Seelen / die von Christo so theuer mit seinem rosinfarben Blut*  
*erlöset worden / ewiglich müssen gepeiniget werden! Kan mans auch ei-*  
*nem Christenherzen verarzen / wann ihme ein so liebreicher Gedanc auff-*  
*steiget: Ach warumb thurs doch Gott? Wolt er ie seine Gerechtigkeit an*  
*ihnen erzeigen / so könt er ihnen ein schreckliches unaussprechliches Zähl*  
*nach viel tausend million Jahren stecken / daß sie hernach erlöset würden!*  
*Er solte dennoch seiner Darmherzigkeit an ihnen nicht so gar vergessen /*  
*beyvor*



besorab/ weil der heilige David ihn so hoch rühmet / daß seine Güte wäh-  
 ret ewiglich; wid. rholers auch im 136. Psalm sieben und zwanzig mahl  
 auff einander: Seine Güte währet ewiglich. Ey/ warumb erzeiget er  
 dann dieselbe nicht auch an den Verdammten? Schrecklich ist es zu hö-  
 ren/wann etwa ein Mensch die ganze Zeit seines lebens fromb und gottse-  
 lig gewesen/ungefähr stürzet ihn der Teuffel in ein grausam Laster / darinn  
 er sein leben beschleußt und abbrucht: solte er dann umb einer so kurzen Zeit  
 willen ewiglich verlohren seyn? Als: Judas ist anfangs ein frommer  
 Mann gewesen/von Christo selbst zum Apostolat beruffen / hat auch im  
 Jüdischen Land geprediget / und ohne Zweifel viel Seelen bekehret und  
 zu dem ewigen Leben gebracht. Was geschicht? Zur Zeit des Leidens  
 Christi reitet ihn der Geißeuffel / daß er seinen eigenen Herren und Mei-  
 ster verrath und auff die Fleischbanck lieffert / bringet ihn auch mit seiner  
 Versuchung so weit / daß er sich selbst erhenckt und verzweifelt. Umb die-  
 ser kurzen Zeit und dieses schnöden Geldes willen / dessen er doch nicht ge-  
 nossen sol er iesu ewiglich verdammt und verlohren seyn! Eben/wie Gott  
 von den Gerechten sagt: Wann einer böses thut/so sol aller seiner From-  
 migkeit nicht gedacht werden/ sondern er sol sterben in seiner Bosheit / die  
 er thut. Ezech. XXXIII. 13. Und das begibt sich viel und offft/ daß et-  
 wa ein frommer Mensch plötzlich in ein grosses Laster / Trunkenheit /  
 Ehebruch/Todschlag/ oder andere gestürzet wird / bleibt auch darinnen  
 liegen und erstirbt: Da sol er gleich umb einer so geringen Zeit / umb et-  
 nes so schlechten Wollusts willen / ewig verdammt und verlohren seyn!  
 Wil iesu nicht sagen von den Straffen selbst / ob dieselbe eben so scharff  
 müssen und ob sie nicht umb etwas können gemildert seyn: sie seyen reche  
 und gerecht / die Verdammte habens wol verdient; ach wann sie nur  
 nicht ewig währeten? Ich wil sehen/wann Gott einem Gottlosen Men-  
 schen sein Leben fristere auff hundert Jahr / und rechne hernach mit ihm  
 also ab/daß er ihm für eine viertel Stund seines Lebens tausend Jahr zur  
 Straff gebe/so wärs ia grausam/aber doch erleidenlich / weil er die Hoff-  
 mung hätte/er möchte einmahl erlediget werden. Wer rechnen kan/der  
 rechne es auß; Ein Jahr hat acht tau'end / sieben hundert und sechzig  
 stunden/ eine jede stund vier viertel / ein jedes viertel bringet in der Hölle  
 tausend Jahr/wiewiel macht das in hundert Jahren? Ich meine / daß  
 hieß ia büßt genug und wäre doch an Gott / als eine große Barmherzig-  
 keit zuzühmen/wann sie nach so viel tausend mahl tausend Jahren kön-  
 nen



ten erlediget werden! Was ist hievon zu halten? Sed verò quicquid horum sit, æternas fore damnatorum pœnas, contra Origenem, aliosque, secus statuentes, indubitatae fidei est. Vocantur enim ignis æternus. Matth. XIX. 8. *supplicium æternum*. Matth. XXV. 46. *mors æterna*. Joh. IIX. 11. *interitus æternus*. II. Theff. I. 9. *vincula æterna*. Ep. Jud. v. 6. *vermis æternus, non moriens*. Ef. LXVI. 24. Neque quisquam hodie facile est, qui dubitet. Isidorus Clarius, Tom. I. Orat. XII. Extr. *Si mille annorum ultio intentaretur, deberent sanè omnes exhorrescere. Nam qui in hac vitâ aliquot horarum spatio acerbius torquentur, miserrimi existimantur. At verò mille annis ignibus excruciansum, quanto est acerbius? Multò autem magis, si decem aut centum millibus annorum hæc pœna esset duratura. Quod tamen spatium brevissimum videretur & tanquam momentū, si dictum prius esset, tot annorum millibus esse in igne commorandum, quot arene minutula grana in hoc templo concluderentur. Rursus hoc etiam tantum spatium, (que enim secula arenam illam exhaurirent, si millesimo quoque anno dumtaxat granulum unum auferretur?) pro nihilo putaretur, si in hanc pœnam ea commutaretur, quâ cogentur in ignem dampnati tot annorum millibus in eo esse, quantus arene numerus toto hoc, quod inter cælum & terram interjacet spatio, comprehendere possit. Et tamen contemplatione æternitatis, (heu horrendam rerum faciem?) hoc etiam tam penè infinitum tempus pro re gratissimâ optaretur & centies ac millies etiam repetitum, modo finis aliquis tandem inciperet apparere. Nam sine ullo unquam fine quempiam torquendum esse, hoc etiam ultra omnes desperationis terminos fertur. Quid enim gravius, quam semper velle, quod nunquam erit, & semper nolle, quod nunquam non erit? In æternum peccator non assequetur, quod vult, & quod non vult, nihilominus in æternum cogetur pati. Illi autem, de quâ diximus, proportioni inveniendæ & exprimendæ, variâ ratione adlaboratum est. Debet autem initio extra omnem controversiam poni, meram temporis adæquationem non requiri, ut pœna culpæ proportionetur, quippe cujus contrarium in civili etiam vitâ conspicitur. Egregiè Augustinus, libro XXI. de Civitate DEI, cap. XI. quem locum haud pigebit integrum describere: Sic autem quidam eorum, contra quos defendimus civitatem DEI, injustum putant, ut pro peccatis, quamlibet magnis, parvo scilicet tempore perpetratis, pœnâ quisque damnetur æternâ, quasi ullius unquam iustitiæ legis attendat, ut tantâ morâ temporis quisque patiatur, quantâ morâ temporis, unde puni-*



puniretur, admittit. Oſto poenarum genera in legibus eſſe ſcribit Tullius, damnnum, vincula, verbera, tationem, ignominiam, exilium, mortem, ſervitutem. Quid horum eſt, quod in ibreve tempus cujusque pro peccati celeritate coartetur, ut tantã vindicetur morula, quantã deprehenditur perpetratum, niſi forte talio? Id enim agit, ut hoc patiatur quiſque, quod fecit. Illud eſt legis: oculum pro oculo, dentem pro dente. Fieri enim poteſt, ut tam brevi tempore quiſque amittat oculum ſeveritate vindictæ, quam tulit ipſe alteri improbitate peccati. Porro autem ſi aliena fœmine osculum infixum rationis ſit verberare vindicare, nonne, qui illud puncto temporis fecerit, incomparabili horarum ſpatio verberatur & ſuavitas voluptatis exigua diuturno dolore punitur? Quid in vinculis? Nunquid ibi tam diu quiſque judicandus eſt eſſe debere, quamdiu fecit, unde meruit alligari, cum juſtiſſimè annosæ poenas ſervus in compedibus pendat, qui verbo aut ictu celerrimè tranſeunte vel laceſſivit dominum vel plagavit? Jam verò damnnum, ignominia, exilium & ſervitus, cum plerumque ſic inſiguntur, ut nullã veniã relaxentur, nonne pro hujus vite modo ſimilia poenis videntur æternis? Idèd quippe æterna eſſe nō poſſunt, quia nec ipſa vita, quæ his plectitur, porrigitur in æternum, & tamen peccata, quæ vindicantur longiſſimi temporis poenis, brevifſimo tempore perpetrantur, nec quiſquã extitit, qui cenſuerit, tam citò nocentium finienda eſſe tormenta, quam citò factũ eſt vel homicidium vel adulterium vel ſacrilegium, vel quodlibet aliud ſcelus, non temporis longitudine, ſed iniquitatis & impietatis magnitudine metiendum. Qui verò pro aliquo grandi crimine morte mulctatur, nunquid mora, quã occiditur, quæ perbrevis eſt, ejus ſupplicium leges æſtimant & non, quod eum in ſempiternum auferunt de ſocietate viventium? Quod eſt autem de iſtã civitate mortali homines ſupplicio primæ mortis, hoc eſt de illã civitate immortalis homines ſupplicio ſecundæ mortis auferre. Sicut enim non efficiunt leges hujus civitatis, ut in eam quiſque revocetur occiſus, ſic nec in illius, ut in vitam revocetur æternam ſecundã morte damnatus. Quomodo ergo verum eſt, inquiunt, quod ait Chriſtus vester: in quã menſurã menſi fueritis, in eã remetietur vobis, ſi temporale peccatum ſupplicio punitur æterno? Nec attendunt, non propter æquale temporis ſpatium, ſed propter vicifſitudinem mali, id eſt, ut, qui mala fecerit, mala patiatur, eandem dictam fuiſſe menſuram: quamvis hoc in eã re propriè poſſit accipi, de quã Dominus, cum hoc diceret, loquebatur, id eſt, de judiciis & condemnationibus. Proinde, qui judicat & condemnat injuſtè, ſi judicatur & condemnatur juſtè, in eadem menſurã recipit, quamvis non hoc, quod dedit. *Judicio enim fecit, judicio patitur, quamvis fecerit*



damnatione, quod iniquum est, patitur damnatione, quod iustum est. Ha-  
 ctenus incomparabilis post Apostolos Ecclesiae Doctor. Igitur pro-  
 portio in peccati potius foeditate & magnitudine, quam perpetra-  
 tionis diuturnitate quaerenda est. Sed hic iterum, cur aut unde  
 malitiam tantam habeat peccatum, operose disputatur. Non-  
 nullis affirmantibus, peccata ratione objecti infinita esse, quia vi-  
 delicet adversus aeternam Dei maiestatem committuntur. Quod  
 si injuriam inferas homini nebuloni & infami, vix attenditur aut  
 aestimatur crimen; si civi, pro ratione delicti multa imponitur;  
 si viro in publico officio constituto, acerbiori poenâ coerceris; si  
 parenti, corporis mutilatione luendum est scelus; si denique Regi  
 aut Imperatori, vitâ privaris. Aequum igitur est, ut cum aeter-  
 num DEum peccato tuo, quantum in te est, laedis, aeternum quo-  
 que sustineas supplicium. Quam malitiam amplius hac verbo-  
 rum severitate depingit Dionysius Carthusianus, titulum Docto-  
 ris ecclastici apud suos meritis, de quatuor novissimis, Articul.  
 XXXVI. Qui miratur, quod DEus naturaliter bonus & pius tam divè ac  
 aeternaliter punit ac vindicat peccatum breve celeriter factum & finitum, di-  
 ligenter consideret, quam summa & infinita & incomparabiliter magna &  
 excellens sit dignitas & auctoritas, sapientia & iustitia, beneficentia, bonitas  
 atque dignatio Dei, sicque intellet enormitatem peccati & sciet, quod DEus  
 iustissime perpetuam exercet ultionem pro culpis, imò, quod etiam citra condi-  
 gnium puniat peccatores in inferno, hoc est, minus quam meruerunt. Insuper  
 sicut terribilitas ac districtio divini iudicii tanto erunt majores, quo major est  
 sapientia, iustitia, auctoritas, bonitas, liberalitas & misericordia DEI in vitâ  
 presente: sic utique tanto intensior ac intolerabilior est poena inferni & ultio  
 DEI, quo dignior, excellentior, sapientior, iustior, melior ac munificentior est  
 DEus, quem offendunt iniqui. Quod & ante ipsum Augustinus vi-  
 detur dixisse, cum libro XXI. de Civ. D. c. XII. Poena aeterna, in-  
 quit, ideo dura & injusta sensibus videtur humanis, quia in hac infirmitate  
 moribundorum sensuum deest ille sensus altissima purissimaque sapientia, quo  
 sentiri possit, quantum nefas in illâ primâ pravariatione commissum sit.  
 Quanto enim magis homo fruebatur Deo, tanto majore impietate dereliquit  
 DEum & factus est malo dignus aeterno, qui hoc in se peremit bonum, quod esse  
 posset aeternum. Alii peccati gravitatem à pertinaci peccandi vo-  
 luntate derivant, quatenus peccata, licet actu finita, efficaciam tamen

men



men & virtute infinitum durant, quam quidem durationem actu ipso haberent, nisi DEus cursum eorum unâ cum vitâ hominis abrumperet. Quam in rem Thomas, loco allegato; *Justum est, inquit, secundum Gregorium, quod qui in suo aeterno peccavit contra DEum, in aeterno Dei puniatur.* Dicitur autem aliquis in suo aeterno peccasse, non solum secundum continuationem actus, in totâ hominis vitâ durantis, sed quia ex hoc ipso, quod finem in peccato constituit, voluntatem habet in aeternum peccandi. Unde dicit Gregorius 34. Mor. quod iniqui voluissent sine fine vivere, ut sine fine potuissent in iniquitatibus permanere. Locus ex Gregorio, c. XVI. quem libro IV. Dial. c. XLIV. repetiit, integer hic est: *At, inquit, sine fine puniri non debet culpa cum fine.* Justus nimirum est omnipotens DEus & quod non aeterno peccato commissum est, aeterno non debet punire tormento. Quibus citius respondemus, quod recte dicerent, si iudex justus districtusq; veniens, non corda hominum sed facta pensaret. Iniqui enim idèo tunc cû sine deliquerunt, quia cum sine vixerunt: voluissent quippe sine fine vivere, ut sine fine potuissent in iniquitatibus permanere. Nam magis appetunt peccare quam vivere: & idèo hic semper vivere cupiunt, ut nunquam desinant peccare, cum vivunt. Ad districti ergo iudicis justitiam pertinet, ut nunquam careant supplicio, quorum mens in hac vitâ nunquam voluit carere peccato; & nullus detur iniquo terminus ultionis, qui quamdiu valuit, habere noluit terminum criminis. Quod eleganti similitudine illustrat Georg. Albrecht, conc. alleg. inquit: *Es sitzen erste Spieler beyssammen / die eine ganze Nacht hindurch miteinander rasilen und spielen / und seind darinnen dermassen erhist, daß sie fast nimmer auffhören können; ungefehr lische ihnen das Licht auß; da hören sie auff zuspielen / aber das geschicht mit ihrem Unwillen / sie sagen / ey / daß wir doch das Licht länger hätten haben sollen / so wolten wir immerdar im Spielen fortgefahren seyn.* So machens die Gottlosen auch: Sie sehen auff ihre Seele und spielen auff dem Tische des Teuffels mit den Karten der Bosheit: Unverschens wird ihnen das Licht des Lebens aufgeblasen / da hören sie auff zusündigen / aber mit ihrem grossen Unwillen. Hätte ihnen Gott das Leben länger gelassen / so hätten sie auch ewig fort gesündigtet. Hanc duplicem tamen, quâ peccati gravitas ostenditur, rationem quidam apud Episcopium his argumentis, consideratu dignissimis, in dubium vocat. *Ha responsiones, si propius examinentur, non videntur questioni proposita in solidum satisfacere.* Nam quod ad primam atinet, siquidem il-



la ratio valet, quidam eodem planè argumento concludere mihi liceat, ipsa etiam opera bona infinita esse? Immo verò hac ratione utraque tam bona quam mala opera non tantum duratione sed etiam essentia infinita erunt, quia DEUS utroque modo infinitus est: cujus absurditas ex terminis apparet. Præterea si singula peccata infinita sunt, quomodo satisfiet iustitia Dei? Etenim ponamus, aliquem commisisse furtum, homicidium & adulterium, eumque à DEO propter furtum eternâ morte punitum iri: quomodo deinde pro homicidio & adulterio ei satisfiet, cum furtum jam omnem pœnarum infinitatem ex iustitiâ sibi vendicet? Absurdum verò est, majora creaturæ delicta statuere, quam creatoris in puniendone potentiam. Denique cum infinitas illa, quam actiones ab objecto accipiunt, extrinseca tantum sit denominatio, quomodo quæso hec naturali, rei que ipsi insite, qualitati ex æquitate adæquari potest? Neque etiam altera illa responsio nodum solvit. Nam cum actus, id ipsum, quod consentent, mutantur, suspendantur, ex voluntate habeant, ex eâ quoque de actuum constantiâ & mutabilitate iudicium fieri convenit. At verò voluntas naturâ suâ semper mutabilis est, indifferens ad utrumque oppositum: quæ indifferentiâ ab ipsâ tolli non potest, nisi ipsa etiam voluntas tollatur. Neque est, quod quisquam putet, ab habitu hoc effici, ut potentia alias libera immobiliter in statu uno consistat. Etsi enim possit ille quidem potentiam ad hoc magis determinare, quam ad illud, simpliciter tamen determinare ad unum non potest, uti notum est. Quamdiu ergo opera nostra mala, qualiacumq; illa tandem sint, actu ipso in infinitum non prorogantur, tamdiu etiam incerta manet de futuro statu affirmatio. Quæ singula ita comparata esse existimat Episcopus, ut refutari nequeant, & prioris sententiæ rationes amplius confirmat ex eo, quod juxta eam peccata omnia equalia essent, neque propriè essent transgressio legis divinæ, sed essentiæ Divinæ violatio, quod absurdum est. Quin in eas redigitur angustias, ut quamquam iustitiæ Divinæ consentaneum esse fateatur, pœnam quandam post hanc vitam impiis & sceleratis infligi, eandemque pœnam æternam, vi literæ Scripturæ, esse statuatur, quia tamen scelerum quantitas ac qualitas ex quantitate ac qualitate gratiæ rectè æstimeretur, vacillantis instar doceat, aut pœnam sensus in damnatis consistere in nudâ ac sensibili privatione perpetuâ æterni istius boni, quod præfractè respuerunt vitæ æternæ contemptores, conjunctâ cum æternâ istius potiundi desperatione, absque ullo alio dolore, qui ei conjunctus sit; aut certè, si scriptura videatur adjungere ex æter-



ni ignis ustione intensissimum dolorem, tum hunc nec posse nec debere aliter accipi, quam quatenus ille commensuratus est delictorum gravitati. Alium enim alio intensiorem esse necessario, quia peccata non sunt paria. Et quia denique æternus dolor non possit commensurari delictis temporariis, hoc ~~quod dicitur~~ concludit: *dolorem ex ustione ignis æternum dici posse tripliciter.* 1. Quatenus ignis ille intensissimè semper uret & ustio ista cum intensissimo dolore conjuncta erit. 2. Quatenus ignis ille uret & dolorem gignet, usque dum consumptus erit; quo sensu ignis æternus dicitur, quo conflagravit Sodoma ac Gomorrha, Jud. v. 7. & passim in prophetis ignis inextinguibilis dicitur, qui urit, quamdiu potest & ustilem aliquam materiam habet. 3. Quatenus igne illo extincto, conscientia sceleris ac flagitiorum uret delinquentes & æterna desperatio gaudii subsequetur. Quomodo autem penam hanc sensus sive dolorem hunc æternum institurus sit, ipsi relinquendum est. Sufficit enim, si dicamus, DEUM justissimum ac sapientissimum judicem neminem puniturum præter aut supra meritum. In assignando modo æternitatis fruatur suo quisque judicio. Hæc ille, qui parum abest, quin quæstoris curiositate in Origenianismum lapsus esset, saltè, quod finem supplicii infernalis secundum alteram sui partem, nempe penam sensus, attinet. Hoc certè ex Episcopo apparet, malle ipsum ob unam alteramque, quæ tamen omninò insolubilis non est, rationem, sentiendi libertatem permittere, quam expressissimæ S. Scripturæ literæ, quæ per irrefragabiles alias causas ad veritatem proprietatemque restringitur, inhærere. Possunt autem, quæ contra primam pro afferenda proportionem inter pœnas æternas & culpam finitam rationem, disputata sunt, dissipari, si observetur, peccatum non aliâ ratione à nonnullis, (nam ab aliis loquendi modus apertè rejectus est) infinitum aut malitiam peccati infinitam dictam esse, quam, in quantum offendit majestatem Divinam & impingit in justitiam infinitam, ejusque normam, scilicet legem. Quo sensu Thomas, Pr. II. Quæst. LXXXVII. Art. IV. Dicendum, inquit, quod pœna proportionatur peccato. In peccato autem duo sunt, quorum unum est aversio ab incommutabili bono, quod est infinitum: unde ex hac parte peccatum est infinitum. Aliud, quod est in peccato, est inordinata conversio ad commutabile bonum: & ex hac parte peccatum est finitum, tum quia ipsam bonum commutabile est finitum, tum etiam, quia ipsa conversio est finita; non enim possunt esse actus creaturæ



*infiniti.* Non igitur æqualitas æternæ poenæ & peccati in infinitate, ab utroque participatâ, aut in eo constitui debet, quod peccatû lædat Deum infinitum, in quantum infinitus aut loco aut tempore aut essentiâ est, sed quod eum lædat, qui & quantum eum, à quo læditur, creavit, creatû providenter conservavit, lapsum redemit, inque redemptione proprium filium prodegit, redemptis gratiam suam obtulit, & ut paucis dicam, eos infinitis & ineffabilibus beneficiis cumulavit. Qui plebejum injuriâ afficit, verbi gratiâ, pugno caedit, aliquot nummorum multâ luit, qui consulem, carcere, qui regem, capite. Quæ verò hujus rei causa est, nisi quod ea te vincula plebejo non obstringunt, quæ obligant regi? At verò, qui legem transgreditur, *τὸν Θεὸν ἀβιβάλλει*, *DEUM inhonorat* vel contumeliâ afficit. Rom. II.23. Tu mihi hæc cogita: cum nihil esses, DEUS te non esse tantum, sed imaginem suam esse voluit. Non potest ullis exprimi verbis, quam dignitatem, quam excellentiam, hæc vox una complectatur. Ad regias leges teneris, cum nec te fecerit rex, nec si proregiam in te contulerit dignitatem & ad fastigium te summum evexerit, hic quantuluscunque splendor vel umbræ titulum præ sole divinæ imaginis mereatur. Conservate vitamque tuam DEUS ab utero & sine ejus auxilio nec digitum movere vales, quicquid unquam possides, ex manu ejus accipis. Si amplissimis à rege & verè regis maclaris beneficiis, ea tamen nihil sunt, cum ad DEI beneficia comparantur; licet enim ea ex manu regis accipias, attamen & tu eadem à DEO, licet per regem, habes & rex ipse Deo illa debet: præterea, quæ à DEO consequeris, nullo tuo merito ex merâ gratiâ, quæ à rege, ut qualiscunque laboris & obsequii præmium sumis. Cum hunc tuum creatorem & benefactorem, in peccatum lapsus, commisso læsæ majestatis crimine, offendisses, culpam tibi omnem, misso in tui vicem proprio filio, eodemque per crudelissima supplicia mactato, condonavit. Quem cum omni posteritate in teterrimos fummosque poterat detrudere cruciatus, in filium adoptavit & ad spem æternæ & præstantissimæ vitæ regenuit. Quis tibi regum, quamquam homo sit, eique humanâ tangi miseria conveniat, designatum in se violati honoris scelus unquam remitteret? Quis filiû regium & uricum imperii hæredem pro homine furcifero

hoc & nequa  
 mactari, quo  
 miliam live  
 piam regis  
 nito habet  
 cipere nihil  
 quam homin  
 tum autem à  
 lus. Deniq  
 non tantum  
 hortari, im  
 exemplum,  
 num amant  
 nebica offe  
 ritura, cum  
 astimand  
 meris in no  
 bi homines  
 merum filio  
 tanta nobis  
 operatur  
 v.29. Si q  
 quantâ à re  
 men majest  
 tum long  
 quantâ à D  
 poenâ coer  
 quæ inter  
 tio, si cui r  
 pulus, eum  
 gni nomin  
 peccatum  
 allerio cu  
 E Pontific  
 continent  
 interm qur



fero & nequam acerbissimæ occisioni traderet? Quis regum loco  
 mactati, quem summè dilexerat, filii, inimicum suum sive in fa-  
 miliam sive in imperium unquam assumpsit? Insuper si in quo-  
 piam rege isthæc clementia celebraretur, si quispiam filio à se ge-  
 nito haud parcens hostem & indignum pro filio atque hærede re-  
 ciperet, nihil faceret ab humanitate alienum, neque amplius quid,  
 quam hominem, humanis casibus obnoxium, profunderet. Quan-  
 tum autem à terrâ coelum distat, tantum ab homine differt Dei fi-  
 lius. Denique isthæc tot beneficia ingratis etiam & refractariis  
 non tantum offert DEUS, sed ad eadem accipienda amicissimè  
 hortatur, immò vi quadam compellit. At verò quod mihi regis  
 exemplum, naturam suam vincens & eousque hominem pesti-  
 mum amantis, ex ullâ historiâ extorquebis? Et si inveneris, be-  
 neficia offeret, qualia hujus seculi sunt, caduca atque brevi inte-  
 ritura, cum DEUS nobis obrudat æterna & nec infinitis mundis  
 æstimanda. Hanc verò tam liberalem, tam beneficam & innu-  
 meris in nos gratiarum imbribus depluentem majestatem, impro-  
 bi homines, Dei non servitantum sed creaturæ, superbè spernunt,  
*meritum filii ejus pedibus conculcant, sanguinem divini testamenti,* in quo  
 tanta nobis gratia & legatur & obsignatur, *violant & denique*  
*operationem applicantis nobis hæc singula Spiritus ludibrio habent.* Hebr. X.  
 v. 29. Si igitur jure perpetratum in regem læsæ majestatis crimen,  
 quantâ à rege irrogari unquam potest, pœnâ vindicatur, cujus ta-  
 men majestas nullâ in re conferri cum Divinâ majestate potest,  
 tum longè majori jure DEUS violatæ Divinæ majestatis crimen,  
 quantâ à DEO irrogari unquam potest, (potest autem infinitâ:)  
 pœnâ coercet. Ex quibus, licet meridianâ luce clarius appareat,  
 quæ inter æternos cruciatus & temporale peccatum sit æquipara-  
 tio, si cui tamen de proportione isthac ullus resideret animo scrupulus,  
 eundem haud verentur complurimi Theologi, iique ma-  
 gni nominis, ita eximere, ut dicant, continuatum in æternum  
 peccatum continuatam quoque in æternum mereri pœnam. Quæ  
 assertio cur falsa aut absurda cuiquam videri debeat, non video.  
 E Pontificiis Jeremias Drexelius, in Nicetâ, seu triumphante in-  
 continentia, lib. II. c. XI. p. 305. *Pœnas, inquit, damnati dabant in*  
*meritu æternas à facie Domini & à gloria virtutis ejus, II, Theß. I. 9. Juris-*



consultorum scitum est: reprobata pecunia non liberat solventem. Pœnitentia pecunia est solvendis debitis apta: tamdiu durat pretium hujus monetae, quamdiu mercatus vite. hoc finito, pœnitentia omnis, rejecta, adulterina est pecunia. Apud inferos est quidem pœnitentia, sed neququam vera, quia fera nimis & plena blasphemia & furoris. Nec mirum, damnatos semper torqueri: continuè blasphemant & sic quasi semper peccant, semper ergo plectuntur. Dum viverent, corrigi noluerunt, semper peccaturi, si semper victuri; ergo jam semper puniendi, æternum cruciandi. Voluissent utique sine fine vivere, ut possent sine fine peccare. Ad judicantis ergo justitiam spectat, ut nunquam careant supplicio, qui dum viverent, nunquam volebant carere peccato. E Calvinianis Zacharias Ursinus, Heidelbergensis & Neustadianæ quondam Scholæ Professor, Tract. Theol. de Fide, p. 622. quærit: Quare peccatum æternas pœnas meretur? Et respondet: Primo, quia justitia Dei postulat, ut pœna sit æqualis culpa. Est autem omne peccatum culpa infinita, quia Dei, id est, boni infiniti offensio est. Itaque pœnam infinitam meretur. Secundo, quia non cessante peccato non potest cessare pœna. Sed sine Christi gratiâ nemo peccare desinit. Ergo nec à pœnis unquam liberari potest. E nostris D. Jo. Brentius, Comment. ad Gen. II. p. 36. Quomodo convenit, ut pro temporario & interdum momentaneo facto peccati infligatur pœna æterna? Post redditas alias causas: postremo, inquit, qui peccat & manet impenitens, etsi non semper designat actum peccati exteriorem, tamen quia non agit pœnitentiam, habet sempiternam voluntatem peccandi. Quare jure debetur ei pœna sempiterna & manet DEus justus, cum injustos homines tradit affligendos æternis cruciatibus. D. Joh. Gerhardus, Loco de Inferno, §. 60. ubi propositam à nobis quæstionem confirmat, inter alia argumenta & quarto loco ad pertinaciam voluntatis damnatæ provocat, quæ à peccato desistere non velit, & sexto loco ad defectum medii, quo à peccatis liberari possint, gratiæ nempe divinæ, quæ absente in peccatis in perpetuum ipsis sit manendum. Hominis morientis voluntas, inquit, confirmatur in eo statu, in quo moritur, sicut Diaboli à Deo apostatantis voluntas statim fuit confirmata in illo malo. Albertus in Comm. Matth. 7. Cum aliquis in causâ finalis impenitentia in peccato moritur, voluntas ejus in malo obstinatur & in æternum propter hoc insusceptibilis efficitur & ideo nunquam ab eo peccatum aliquod solvitur, & cum pœna peccatorum insequatur, consequens est, ut in æternum puniatur. Præterea in damnatis nulla erit vera &

se-



seria poenitentia, ergo nec in illis locum habebit peccatorum venia. Gregor. Nazianz. orat. 15. quæ est in plagam grandinis: quemadmodum, qui Dei memor hic est, morte superior est: ita his, qui à vitâ excefferunt, non est in inferno confessio, nec morum correctio. Hic enim DEus vitam & adionem, illic rerum gestarum censuram concludit. Neque obest, quod damnati secundum Lombardum, §. XIII. allegatum, haud videantur eo in loco esse, ubi mereri queant, cum nullus mereatur, nisi in hac vitâ. Nam falsissimum hoc est. Gratia janua cum hac vitâ clauditur, non iustitiæ: Illa enim libera est, nec ulli quidlibet debet; hæc necessaria & essentialis. Sicut igitur naturam suam nullo in loco statuve negare DEus potest: ita nec, impunitum dimittendo quodlibet peccatum, iustitiam suam. Id quod contra Socinianos ab Ecclesiæ nostræ Doctõribus uberimè probatum est.

LX. Superest vicesimum & ultimum argumentum ab Ecclesiæ consensu depromptum. Vides enim veteres pariter atque recentiores Christianorum Doctores, vel sententiam hanc expressis verbis amplecti, vel eas ponere ubique hypothefes, ex quibus suâ sponte consequitur, vel certè actualia tantum peccata in damnatis inficiari, adscribere tamen iis habitualia, vel denique, si utrumque negent, ea tamen opera easque actiones civibus infernalibus attribuere, quæ à lege Divinâ, prout illa sive naturæ implantata est, sive in Decalogo repetita, deviant & hodiè saltem pro peccatis propriè dictis rectè reputantur. Impatientiam vitium esse, cui necessariò innexi sint damnati, in præcedentibus ostendimus. At eandem seminarium fontemque vocat omnium peccatorum Tertullianus, lib. de Patient. c. V. *Ut compendio dictum sit, omne peccatum impatientiæ adscribendum. Malum impatientia est boni. Nemo impudicus non impatiens pudicitia, & improbus probitatis, & impius pietatis, & inquietus quietis. Ut malus unusquisque fiat, bonus perseverare non poterit.* C. Cyprianus Martyr, Serm. III. de Bono Patient. p. 203. *Non aliud magis in justos discernit & justos, quam quod in adversis per impatientiam queritur & blasphemat injustus, patientiâ justus probatur, sicut scriptum est: in dolore sustine & in humilitate tuâ patientiam habe, quoniam in igne probatur aurum atque argentum.* S. Basilus, Conc. Exhort. ad S. Baptisma, f. f. peccata in inferno deponi non posse, ait. *O quam te ipsum dilaniabis! O quantum ingemisces, frustra poenitentiam ob ma-*



la consilia agens; ubi videris hilaritatem iustorum, ob splendidam donorum distributionem, & tristitiam peccatorum, in tenebris tristissimis positorum. Quæ dices tunc in dolore cordis tui? Hei mihi, quod non abjeci hoc grave peccati onus, quam facilis adeo deponendi occasio ac ratio fuisset, sed grandem hunc malorum acervum attraxi! Hei mihi, quod maculas non abluerim, sed peccatis punctus ac insignitus sum! ô mala consilia, propter brevem ac temporariam peccati voluptatem in æternum suppliciiis torquebor: propter carnis illecebras in ignem æternum trador. Quod auctor libri de triplici habitaculo, in cælo omne bonum esse, in inferno omne malum, quo & malum morale pertinet, asseruit, id hac verborum sententiâ confirmat Irenæus, lib. V. adv. Hær. c. XXVII. **COMMUNIO DEI, VITA & lumen & fructio eorum, quæ sunt apud eum, bonorum.** Quicumque autem abstulunt, secundum sententiam suam ab eo, his eam, quæ electa est ab ipsis, separationem inducit. Separatio autem DEI, mors, & separatio lucis, tenebræ, & separatio Dei, amissio omnium, quæ sunt apud DEUM, bonorum. Qui ergo per apostasiam amiserunt, quæ prædicta sunt, quippe desolati ab omnibus bonis, in omni pœnâ conversantur, Deo quidem principaliter non à semetipso eas puniente, prosequente autem eos pœnâ, quoniam sunt desolati ab omni bono. Cæteros suo loco allegavimus. Est autem veritatis argumentum, aliquid videri vel omnibus, vel pluribus, vel certè sapientioribus.

LXI. Huic tanto argumentorum agmini rectè subijcimus hostilem exercitum & quibus armis ille pugnet, ostendimus. Inter eas autem rationes, quibus propugnatur, damnatos in inferno, sive peccare non posse, sive actu non peccare, prima à Sacrarum Literarum auctoritate desumitur. Bonaventura igitur libro IV. sent. d. L. Q. I. urget locum Sapientiæ V. 8. Sap. 5. inquit, dicent intra se pœnitentiam agentes, &c. Constat quod illa est consideratio rationis deliberantis. Ergo videtur, quod velint se non peccasse. Locus integer hic est: *Videntes damnati turbabuntur timore gravi & stupefient propter salutem eorum inopinatam; dicentque apud seipos respicientes, dicent, inquam, gementes propter angustiam spiritus: hic erat, quem habebamus quondam ludibrio & communi probro, . . . . quomodo relatus est in filios Dei & in sanctis est fors illius. Planè erravimus à viâ veritatis, justitiæ luce non lucente nobis & sole justitiæ non exorto nobis. Ubi satis clarè innuitur, pœnitentiam acturos esse damnatos de improbis suis operibus &*  
agni-



agnituros stultitiam suam, in quâ vixerunt. Jam verò pœnitentia saltem propositum cessandi à peccato, si non studendi iustitiæ includit. Et qui stoliditatem suam serio agnoscit, is, ne eidem amplius implicetur, studiosè adlaborat. Fieri igitur nequit, ut peccent damnati, quamdiu seriâ factorum suorum pœnitentiâ tanguntur. Id quod ulterius comprobatur ex eo, quod, si salutem salvatorum, quam norunt fide illos, quæ in bonis operibus viva & efficax fuerat, acquisivisse, cum infelicissimo, in quo vivunt, quemque incredulitate sibi & pessimis facinoribus contraxerunt, statu comparaturi sunt, non possint naturale iudicium defugere, stolidè se fecisse, quod tam brevi voluptate æternos cruciatus mercati fuerint, & quod neglexerint, tam facili viâ, licet injucundâ, ad perpetua & tanta gaudia grassari. Hæc autem pœnitentia est & seria de commissis criminibus contritio, quâ frendentes sibi ipsis irascuntur, quod rectâ viâ ad salutem hac in vitâ non tetenderint. Chrysoströmus, Serm. super i. Paral. XVII. Tom. I. opp. p. 644. *Dicuntur sunt damnati in futuro: Quid nobis profuit superbia aut quid divitiarum jactantia contulit nobis? Imputabunt sibi in illâ vitâ, ubi jam non erit misericordia. Ecce, dicuntur sunt, ij, quos habuimus in risu & quorum vitam estimabamus insaniam, quomodo computati sunt inter filios Dei & inter sanctos fors illorum est? gementes, stridentes, plangentes, in ipsâ regione, ubi jam non erit indulgentia, sed plenissima sententia.*

LXII. Progrediemur ordine recensendo Bonaventuræ argumenta. Alterum ergo ex Auctoritate fuit Augustini. Item August. in libro LXXXIII. questionum dicit: *Videmus ferissimas bestias dolore poenarum à maximis voluptatibus abstinere. Sed damnati non ardentius appetunt, quam bestia atroces & maximè cruciantur. Ergo eorum appetitus retrahitur & sic vellent se non peccasse.* Continetur in his Augustini verbis aliquod ex vi dolorum deductum argumentum, qui libidinosas carnis actiones, quales peccata sunt, restringunt & sufflamant; cum verò illud cum eo, quod sequitur, ita connexum sit, ut separari ab eo nequeat, differimus illustrationem ejusdem & Bonaventuram juvamus auctoritate aliorum Ecclesiæ Patrum, quorum verba in principio hujus disputationis à nobis adducta subinde comparent. Augustini illustris est locus; in Enchir. ad Laur. c. CXI. *Beatis voluntas, damnatis facultas non poterit ulla esse pec-*



candi. Prosper Aquitanicus, III. de Vit. Contempl. c. XII. *Quid est obmutescens manibus & pedibus ligari, nisi in inferno, ubi Deo nemo constituitur, actione privari? Referendi huc sunt ii, qui in interpretatione loci Rom. VI. 7. in eandem sententiam inclinant, de quibus suo loco agetur.*

LXIII. Terrium apud Bonaventuram argumentum à deficiente peccati sine desumptum, his verbis formatur: *Peccatum non placebat nisi propter libidinosam delectationem. Sed in damnatis exclusa est omnis libidinosà delectatio. Ergo nullum peccatum eis placet. Disputavimus §. LIII. voluntatis appetentis objectum per se non posse esse aliud nisi bonum. Cum autem omne bonum duplex sit, verum & apparens, ex se patet, & quotidiana experientia testatur, utrumque voluntati, sed diverso respectu, objici, illud nempe per se, hoc autem per accidens. Bonum enim apparens revera malum est, non tamen appetitur à voluntate, nisi in quantum speciem boni mentitur, id est, quatenus vel bonum id esse, vel certè quicquam boni conjunctum habere falsò nobis persuademus. Quod aded verum est, ut in hoc veluti conspirent Philosophi faniore. Plato II. de Leg. Nemo, ait, id sponte ager, cui non plus letitia quam doloris inest. Aristoteles ubique bonum per appetibilitatem describit, non quod formaliter rationem boni in eà consistere, sed quod eandem necessariò & indivulsè consequi arbitraretur. Quare V. Eth. Nic. c. IX. ait: Nemo id vult, quod non existimat esse bonum. Seneca Ep. LXIX. Nullum sine auctoramento malum est. Avaritia pecuniam promittit, luxuria multas ac varias voluptates, ambitio purpuram & plausum & ex hoc potentiam & quicquid potentia potest. Mercede te vitia sollicitant. Accuratissimus Christianorum Philosophus, Augustinus, lib. II. Confess. c. V. Cum de facinore queritur, inquit, quâ causâ factum sit, credi non solet, nisi cum appetitus adipiscendi alicujus illorum bonorum, quæ infima dicuntur, esse potuisse apparuerit, aut metus amittendi. Pulchra sunt enim & decora, quamquam præ bonis superioribus & beatificis abjecta & jacentia. Homicidium fecit. Cur fecit? Adamavit ejus conjugem aut prædium, aut voluit depraedari, unde viveret, aut timuit ab illo tale aliquid amittere, aut læsus ulcisci se exarsit. Num homicidium sine causâ faceret, à ipso homicidio delectatus? Quis crediderit? Nam & de quo dictum est, recordi & nimis crudeli homine, quod gratundò potius malus atque crudelis erat, prædicta*



tamen est causa, ne per otium, inquit, torpesceret manus aut animus. Quare  
 res quoque? Cur ita? Ut scilicet illa exercitatione scelerum captâ urbe, ho-  
 nores, imperia, divitias assequeretur & careret metu legum & difficultate re-  
 rum, propter inopiam rei familiaris & conscientiam scelerum. Nec ipse igitur  
 Catilina amavit facinora sua, sed utique aliud, cuius causa illa faciebat.  
 Quamquam verò ex Scholasticis Theologis Joann. Scorus & Wil-  
 helmus Occam, ducto ab odio & blasphemiâ Dei, in quibus ne-  
 que verè aliquid boni sit neque apparenter, argumento, volunta-  
 tem in malum ferri posse sub ratione mali, disputent, rectè tamen  
 à cæteris ideo refutantur, quia, qui DEum odit atque blasphemat,  
 in hoc ipso, quantumvis pessimo, vitio, boni quidquam, licet fal-  
 sò, apprehendit, cum ideo oderit atque blasphemet, ut animum  
 vindictæ cupidum demonstrat, vel aliâ quacunque ratione ducatur.  
 Augustinus quidem allegato secundo confessionum libro  
 cap. IV. Deo confitetur: *Arbor erat pirus in viciniâ vineæ nostræ pomis  
 onusta, nec formâ nec sapore illecebrofis. Ad hanc excutiendam atque aspor-  
 tandam nequissimi adolescentuli perreximus, nocte intempestâ, quousque lu-  
 dum de pestilentia more in arcis produxeramus & abstulimus inde onera in-  
 gentia, non ad nostras epulas, sed vel proficienda porcis, etiam si aliquid inde  
 comedimus, dum tamen fieret à nobis, quod eò liberet, quo non liceret. Et  
 paulò ante dixerat: furtum facere volui & feci, nullâ compulsus egestate  
 nec penuriâ, sed fastidio iustitiæ & saginâ iniquitatis. Nam id furatus sum,  
 quod mihi abundabat & multò melius. Nec eâ re volebam frui, quam furta  
 appetebam, sed ipso furto & peccato. Deinde: Ecce cor meum, DEus meus,  
 ecce cor meum, quod miseratus es in imo abyssi. Dicat tibi nunc ecce cor me-  
 um, quod ibi querebat, ut essem gratis malus & malitia mea causa nulla esset,  
 nisi malitia. Fœda erat, & amavi eam. Amavi perire, amavi defectum  
 meum, non illud ad quod desiciebam, sed defectum meum ipsum amavi turpis  
 animæ & disiliens à firmamento tuo in exterminium, non dedecore aliquid  
 sed dedecus appetens. Et si verò oratorio sermone sic suum peccatum  
 exaggeret, non tamen diffretur, furatum se esse, vel ut damno  
 proximi delectaretur, vel ut frueretur sodalium consortio, c. VI. &  
 IX. Quid ergo miser in te amavi, ô furtum meum, ô facinus illud meum  
 nocturnum septidecimi anni ætatis mee? Non enim pulchrum eras, cum fur-  
 tum esses, aut verò aliquid es, ut loquar ad te? Pulchra erant poma illa, quæ  
 furati sumus, quoniam creatura tua erant, pulcherrimè omnium, creator*



omnium, DEUS bone, DEUS summum bonum & bonum verum meum. Pulchra erant illa poma, sed non ipsa concupivit anima mea miserabilis. Erat enim mihi meliorum copia, illa autem decerpsi tantum, ut furarer. Nam decerpta projeci, epulatus inde solam iniquitatem, quã letabar fruens . . . . . Quoniam in illis pomis voluptas mihi non erat, ea erat in ipso facinore, quam faciebat consortium simul peccantium. Impossibile igitur est, ut quis malum appetat, ut malum est, vel ut inclinetur in id, quod dissimile & disconveniens sibi est, nisi sub ratione similitudinis & convenientiã, saltem, ut jucundum & utile sibi videtur, apprehendat. Hęc cum ita se habeant, amplius patet, damnatos nullã ratione velle malum, id est, peccaminosis actibus implicari posse. Nam nec revera bonum est peccatum, quippè cui è diametro opponitur & quod destruit, ut ex se patet, neque etiam apparere in oculis eorum ullã bonitatis specie potest, quippe, quo sciunt neque se impetrare posse qualemunque animo aut corpori delectationem, neque efficere quodlibet aliud, ex quo sive utilitas quæpiam sive jucunditas promanare queat. Quid? quod tunc reipsã experientur verum esse, quod hac in vitã credere præfractè renuerunt, peccatis nempè, utcunque jucunditatis lenociniis se insinuent, extremam tamen miseriam conciliari & quo longius peccatum dureret, hoc longiorem attrahi & graviorem pœnam. Ex quo sequitur, peccare profus non posse damnatos, aut certè admittendum esse, quod malum appeti possit à voluntate, in quantum malum est: Quod tamen, qui asserit, hoc ipso naturam voluntatis tollit & subvertit.

LXIV. Quartum Bonaventuræ argumentum à peccati merito procedit & hoc est: Mala voluntas, eo ipso, quo mala est, est contra DEUM. Et eo ipso, quo est contra DEUM, est meritoria pœna. Ergo semper merentur pœnam & ita debet semper eis pœna augeri; & sic in infinitum. Sed sic non videtur. Ergo non peccant. Datur omninò in DEO essentialis quædam & ab eo inseparabilis proprietas, quæ justitia vocatur, Hanc non Sacræ tantum Literæ omnibus propemodum paginis DEO adscribunt, sed gentiles quoque è naturali, quod post lapsum superest, lumine agnoscunt. Aristoteles vel quicumque alius, ingenii divinitate Aristoteli haud impar, librum de Mundo, cap. VII. f. f. ita concludit, interprete Budæo: Proinde hæc omnia non aliud



aliud quidquam, quam DEum esse, planum est, ut eximius Plato censuit. Enim-  
verò DEus, ut ex vetusto verbo proditum, principium & finem & media rerum  
omnium tenens, rectæque lineâ incedens, operatur ille quidem secundum natu-  
ram, è vestigio comitem habens justitiæ præsidem, quam Dicitur nominaverunt,  
divinæ legis vindicem, simul ut quicquam sanctionum ejus prætermisum est.  
De quâ dicitur ad Persen Fratrem ita canit Hesiodus lib. I. 127. inter-  
prete Vallâ :

*Ille quidem virgo est supero Fove nata parente,  
Nomine clara suo, cœtuque verenda Deorum.  
Quam si quis violet, lacrymans sua fata, parentis  
It Fovis ante pedes & lamentabile fundens,  
Humanos queritur mores & debita poscit  
Supplicia in populos.*

Quamquam verò hæc justitiæ vulgò in remunerantem & vindicantem distribuatur, non tamen utraque species de genere suo æqualiter participat. Cum enim DEus nemini quidquam debere possit, quis enim dedit ei, ut retribuatur illi? Rom. XI. v. 35. non potest nisi pro merâ libertate & bonitate suâ benè facta remunerare, nisi quod, cum remunerationem promiserit, ex fide & veritate quasi ad reddendum tenetur: at, quando creaturæ, quæ infinitis vinculis præstantæ legi Divinæ obligantur, ab obsequio recedunt, Deique majestatem violant, justitiæ Divinæ hunc legum suarum contemptum aut necessariò vindicat, aut certè justitiæ, cum non vindicat, esse desinit. Id quod inde docetur. Depingunt nobis S. Literæ Deum non tantum ut omnis justitiæ amantem, sed ut necessariò in justitiæ osorem. Neque enim eundem velle tantum bonum tradunt & nolle malum, quasi aliquo casu mutare aliquando voluntatem & ex misericordiâ dimittere impunitum possit peccatum, sed eousque detestari malum, ut tolerare nequeat; non habitat juxta eum malignus, neque permanent injusti ante oculos ejus. Odit omnes, qui operantur iniquitatem, perdit omnes, qui loquuntur mendacium. Virum sanguinum & dolosum abominatur Dominus. Ps. V. 5. 6. 7. Quæ singula manifestâ impati innatam quandam naturæ Divinæ peccati aversionem, nequaquam verò liberam ejus prohibitionem evincunt. Nunquid DEus supplantat judicium? aut omnipotens subvertit, quod justum est? Job. IIX. 3. Hoc nimirum vult, DEUM

non



non posse, etiam si vellet, justitiam in injustitiam commutare & vel innocentem punire vel delinquentem absolvere. Id quod Philosophus paulò antea nominatus ita expressit, ut diceret, *ἰουδὴ κατὰ φύσιν ποιεῖ τὸ βλάσφημο* DEum, cum justitiam administrat; & Orpheus hymno, qui à Stobæo, sermone IX, ita redditur: Justitia

*Injustorum ultrix supplicii gravans justis  
Veritatis aequalitate concilians dissimilia.  
Omnia enim, quæ mala mente committunt homines  
Temerè, nimium confidentes malis consiliis,  
Tu sola puniens pœnam sumis ab injustis,  
Hostis improborum.*

Sicut igitur Deus per naturam nõ aliter potest, nisi numen Harmonicum esse: ita nec aliter per naturam potest, nisi conciliare dissimilia, quæ re justitiam descripsit Poëta; & sicut veritatem non potest non amare, eique adhærere; *DEus enim seipsum negare non potest*; II. Tim. II. 13. ita nec justitiam, quæ veritatem complectitur. Jam verò, si in inferno peccaturi sunt damnati, perpetuo lædent & in vindictam contra se armabunt justitiam Divinam, quæ vi naturæ suæ non poterit nisi ulcisci hanc sibi illatam contumeliam. Cum autem quodlibet, etiam minimum peccatillum, æternam infinitamque promereatur pœnam, jam non amplius unâ morte æternâ, sed mortibus æternis infinitis & innumerabilibus, damnatis moriendum erit, neque unus erit infernus sed infiniti perpetuendi. Quod quam absurdum sit, nemo non sponte animadvertit. Justitia enim Divina id à damnatis requiret, quod neque unquam exsoluturi sunt, neque exolvere unquam poterunt. Quo enim longius cruciabantur, hoc majora tormenta merebuntur; & denique infirmior erit humana natura, quam ut omnibus, quæ meruit, par sit tolerandis. Præterea nullibi revelatum est, fore pœnarum in inferno incrementa, ergo neque augebuntur aut continuabuntur peccata. Augerentur autem necessariò pœnæ, si cresceret materia pœnarum, peccata, quia justitiæ hoc Divinæ indoles requirit. Denique sicuti gratiæ, ita & meriti post hunc mundum finis futurus est. Ubi autem nullum meritum, ibi nullum peccatum est. Nam peccatum sine merito concipere, justitiæ Dei refragatur, sicut hætenus fuit demonstratum,



LXV. Quintum Bonaventuræ argumentum à finali rerum omnium ordinatione desumitur: *Voluntas mala, eo ipso, quo mala est, inordinata est, Ergo quando exiit in actum novum, de novo inordinatur. Sed nihil potest DEUS relinquere inordinatum. Ergo si peccatum non ordinatur nisi in pœnâ & est nova inordinatio; Ergo nova pœna: & ita semper cresceret. Nempe illud absurdum, quod in superiori argumento ex peccati merito, eò quod contra Deum est, collegerat, fore scilicet, ut crescentibus peccatis in infinitum crescant pœnæ peccatorum, cum ignis furoris Divini, quo majorem inflammabilium materiarum copiam repererit, eo majus incendium excitet, nunc ex alio fonte derivat, amore nimirum ordinis Deo naturali. Sicut enim justitia Divina necessario vindicat honoris sui violationem, neq; pati potest, ut ullum peccatum impunè ferat peccator: ita amor ordinis in Deo contemptum ordinis ulciscitur, neque ferre potest, ut ulla inordinatio impunè grassetur. Esse verò DEUM tenacissimum ordinis amatorem, neque S. Literarum testimonia, neque effectus Divini nos ignorare sinunt. Paulus, gentium Apostolus, I. Cor. XIV. 40. *Omnia decenter & secundum ordinem fiant.* Salomo, vel quicumque alius ex Hebræorum Sophis, Sapient. XI. 21. de Deo:*

Πάντα μετ' ἑαυτοῦ ἐπίθετο ἡ ἀριθμὸν δὲ τὰ πάντα

*Pondere, mensurâ, numero DEUS omnia fecit.*

Ad quem locum Augustinus, vel judicio Erasmi, quivis alius ex Augustino, Tom. IV. Dial. LXV. Quæst. q. 39. *Numerus & mensura & pondus ipse Deus est. Ipse est numerus sine numero, à quo est omnis numerus. Ipse est mensura sine mensurâ, à qua est omnis mensura. Ipse est pondus sine pondere, à quo est omne pondus. Omnia ergo in numero & mensurâ & pondere disposuit, tanquam si diceret: omnia in se disposuit. Intue re hoc universum, ubiq; ordinem, etiam in ipsâ confusione rerum, deprehendes. Athanas. Or. contr. Idol. p. 18. Ex universitatis istius ordine & harmoniâ, necesse est, ut animadvertamus, omnium istorum principem esse Deum, eumq; unum & non plures. Quod lib. de Gen. ad literâ eleganter demonstrat Augustinus, c. XXII. inquit: *Qui negant, etiam vilissimas, abjectissimasque hujus mundi particulas divinâ providentiâ regi, nec sanctis eloquiis tantæ autoritatis acquiescunt, si in hac mundi parte, quam putant fortuitis motibus perturbari, potius quam sapientia divina summitatis re-**

L

gio



gi: & ut hoc quasi probent, gemino abutuntur argumento, vel quod supra commemoravi, de inconstantiâ tempestatum, vel de felicitatibus atque infelicitatibus hominum, quod non pro vite meritis accidunt: viderent tantum ordinem, quantus in membris carnis cujuslibet animantis apparet, non dico medicis, qui hec propter sua artis necessitatem diligenter patefacta & dinumerata rimati sunt, sed cuilibet mediocri cordis & considerationis homini: nonne clamarent, ne puncto quidem temporis Deum, à quo est omnis mensurarum modus, omnis parilitas numerorum, omnis ordo ponderum, ab ejus gubernatione cessare? Quid ergo absurdius, quid insulsius sentiri potest, quam eam totam esse vacuum nutu & regimine providentia, cujus extrema & exigua videas tanta dispositione formari, ut aliquanto ardentius cogitata ineffabilem incutiant admirationis horrorem? Jamverò effectus arguit de causâ suâ & cum ordine quævis creata esse, ordineque regi luculentissimè constat, DEUM quoque in naturâ suâ ordinis amatorem esse oportet. Scripsit idem Augustinus duos de ordine libros, ad Zenobium, qui habentur Tomo I. Op. Bas. pag. 443. f. sub quorum initium, cap. III. proficitur: *Defendam quantum possum, ordinem rerum, nihilque præter ordinem fieri posse asseram. Tantum enim cum animo imbibit aque hausi, ut etiam si me quisquam in disputatione superarit, hoc nulli temeritati, sed rerum ordini tribuam.* In progressu verò, regi omnia & disponi ordinatissimâ ratione à Deo, & quæ sæpe confusa nobis videntur, nequaquam vagari extra ordinem, nihilque sine causâ geri in hac rerum universitate, quin & DEUM ipsum agi ordine, producto ex effectibus, in quibus velut in speculo DEI natura relucet, argumento confirmat: *Ordo est, inquit, per quem aguntur omnia, quæ DEUS constituit. Quid ipse DEUS, inquam, non tibi videtur agi ordine? Prorsus videtur. Sicut ergo intra se DEUS ordo est, ut ita loquar, id est, ordinatè se, quæcunque in Deo sunt, habent & ordine aguntur: ita non potest non velle, ut omnia extra se sint ordo, id est, ut omnia ordinatissimâ ratione & sese habeant & gerantur.* Idque cum in corporibus & rebus inanimatis verum esse, hujus universi machina & connexa rerum omnium dispositio demonstrat, longè verius certè erit in iis, quæ DEI naturam, tanquam ordinis legem, propius attingunt, veluti cum de festatione boni & fugâ mali fermocinamur. Secundum Xenophontem: *ἡ δὲ φύσις ἅπασαν ὅτι ἐκγενησθεὶς καλὸν ἀνθρώποις ὅτι ἢ τὰς ἡ* quod à Cicerone ita



ita redditum est: nihil est pulchrius in omni ratione vite dispositione atque ordine. Cum igitur pulcher sit ordo, deformis autem confusio, non poterit ille non a Deo amari, hæc autem odio haberi. Ex quibus nunc denique duplici ratione colligere possumus, primò ad mentem Bonaventuræ, deinde ad aliam ab illâ paululum differentem. Nam cum inordinatissimum sit, deviare ab ordine legis Divinæ, à Deo, ordinis auctore, latæ, necesse est, quo ratio ordinis DEO intra semetipsum constet, ut hæc tam grandis inordinatio in ordinem reducat. Id quod duplici ratione fieri potest, primò, inordinationem per aliquid, quod secundum proportionem ordinis respondet, compensando, id est, peccata contra legem puniendo, quæ pœna delicto proportionaliter adæquatur; secundò, inordinationem prorsus tollendo. Id enim & ad præsentis seculi ordinem tuendum à supremo magistratu fieri cernimus, ut vel delicta, contra suasmet leges commissa, pœnis compensent, vel delinquentem, ne peccare amplius possit, è medio tollant. Quod si factum est, observatum vel reductum ordinem esse, vulgò quoque dici solet. Hoc duntaxat dubium esse potest, quomodo pœna, quæ & ipsa quædam inordinatio est, ordinem restituere credi possit? sed accuratè solvit nodum Augustinus, libro de verâ Religione, cap. XLI. *Corrumpitur, ait, homo exterior, aut profectu interioris, aut defectu suo. Sed profectu interioris ita corrumpitur, ut totus in melius reformetur & restitatur in integrum in novissimâ tubâ, ut jam non corrumpatur neque corrumpat. Defectu autem suo in pulchritudines corruptibiliores, id est, pœnarum ordinem precipitatur. Nec miremur, quod adhuc pulchritudines nomino; nihil enim est ordinatum, quod non sit pulchrum. Et sicut ait Apostolus: omnis ordo à DEO est. Necesse est autem, fateamur, meliorem esse hominem plorantem, quam letantem vermiculum; & tamen vermiculi laudem sine ullo mendacio copiosè possum dicere, considerans nitorem coloris, figuram teretem corporis, priora cum mediis, media cum posterioribus congruentia & unitatis appetentiam pro sua natura humilitate servantia, nihil ex unâ parte formatum, quod non ex alterâ parili dimensione respondeat. Quid jam de ipsâ animâ dicam, vegetante modulum corporis sui, quomodo eum numerosè moveat, quomodo appetat convenientia, quomodo vincat aut caveat obsistentia, quantum potest & ad unum sensum incoluantiatis referens omnia, unitatem illam conditricem naturarum omnium,*



multò evidentius quam corpus insinuet; loquor de vermicalo animante qualicumque. Cineris & stercoris laudem verissimè atque uberrimè plerique dixerunt. Quid ergo mirum est, si hominis animam, qua ubicunque sit, & qualiscunque sit, omni corpore est melior, dicam pulchrè ordinari & de pœnis ejus alias pulchritudines fieri, cum ibi non sit, quando misera est, ubi beatos esse decet, sed ibi sit, ubi esse miseros decet. Jam verò, si dixeris, pœnis exæquari peccandi in inferno licentiam, innumerabiles infernos & pœnas, quæ ne cogitari nedum dici possunt, introduces. Ut igitur hoc absurdum declines, peccaturos non esse damnatos, potius asserendum est. Si verò inordinationem planè omnem tolli ad severes, hoc ipso peccati nihil reliquum manebit, quippe quod in formali *deviatio* seu deviatio est ab ordine. Quæ sententia per id etiam confirmari potest, quod Paulus doceat, in consummatione seculi sublaturum iri omnes Christi inimicos, ne uno quidem excepto, I. Cor. XV. 25. 26. At si remaneret peccatum, non tolleretur præcipuus Christi inimicus, ex quo cæteri hostes Diabolus, mundus, mors, originem suam sumpserunt. Consequitur ergo, peccato nullum amplius in altero seculo locum futurum esse.

LXVI. Succedit sextum & apud Bonaventuram ultimum argumentum, ex atrocitate infernalium cruciatuum petitur: *Esse, quod damnatis daretur libertas peccandi, nunquam fornicarentur, si redirent ad corpora & locum haberent. Constat, quod nollint peccare, cum magis horreant tantam pœnam, quam delectationem peccati. Ergo videtur, quod non peccent.* Nervus collectionis hic est: si unum peccatum, exempli causâ fornicationem, non appetunt damnati, ob delectationem, quam inde capere poterant, quia norunt, brevem hanc voluptatem æternis pœnis compensari, ergo nec cætera appetent ob eandem rationem. Ubi enim eadem ratio est, ibi eadem consequentia, idem effectus. At verò damnati fornicationem appetere non possunt, propter intensissimos dolores, qui perpetuò tolerati libidini nulli locum relinquunt. Quæcunque enim hoc in seculo mala perpetramus, cum sub ratione mali, ceu supra disputavimus, neque velle ea neque facere possimus, sub spe quadam delectationis exinde percipiendæ perpetramus. At verò quæ delectatio potest esse illis, qui perpetuis uruntur cruciatibus & ubi semel leviter peccaverint, exquisitissimas illicò recipiunt pœnas &

Præ-



Præterea ne quidem appetere possunt peccatum, sub conditione, si redire concederetur ad hanc vitam & uti corporibus, sicut quondam fuerant usi. Nam retraherentur cogitatione pœnæ, quam gravissimam & intolerabilem esse tum idèò credituri essent, quia in suomet corpore senserunt, quamque, dum hac in vitâ existerent, experientiâ destituti non credebant; juxta illud: *Non credam, nisi videam.* Joh. XX. 25. Quod clarissimè probat epulonis exemplum. Is enim persuasus fuerat, si quis ex mortuis mitteretur ad superflites fratres, fore, ut audientes de pœnarum atrocitate, pœnitentiam agerent. Quantò magis igitur ab omni peccato abstinere, qui tam graves pœnas sensit ipse, si quidem hujus vitæ ei ad quaecumque temporis spatium usura permitteretur? Expendamus hanc pœnarum crudelitatem paulo accuratius. Describitur illa per mortem æternam, quia separata est damnatorum vita à gaudio, quod habere ex intuitu DEI, summi boni, poterant. Augustinus: *Miseria damnatorum nec vita nec mors est, quia in utraque boni aliquid invenitur. In vitâ requies est, in morte terminus. Sed miseria illa non habet requiem nec terminum. Quid ergo est? malum vitæ & malum mortis à morte. Cruciatu habet sine fine, à vitâ durationem accipit sine requie.* Quod verò sine ullâ intermissione exquisitissimè cruciatur, id nec intervallis gaudet, ulli delectationi animum adplicandi. Damnatorum pœna est rejectio à facie Divinâ, de quâ Jo. Chrysostomus, Hom. XXIV. in Matth. *Mille gehennas ponas & nihil tale est, quale est excludi à gloriâ & odio haberi à DEO.* Basiliius, Oratione de extr. Jud. *DEI alienatio atque aversio inter omnes pœnas, quæ in gehennâ expectantur, intolerabilior, graviorque est ei, qui patitur, quam oculo lucis privatio, etiamsi dolore caveat.* Sicut ergo, qui semel sibi cœcitatem sua culpâ contraxit, eandem culpam nunquam appetere poterit, sed extremo semper odio prosequetur: ita qui peccato damnationem, peccare nunquam amplius volet. Exulabunt damnati ab amœnissimo loco paradisi & jacebunt in lacu sulphureis ignibus pleno. Polycarpus Presbyter in vitâ S. Sebastiani: *Omnes ignes, omnesque pœne hujus mundi, respectu ignis & cruciatu inferni, sunt tantum quasi ignis pictus ad verum & magnum ignem.* Haymo, libro IV. in Apoc. *Cum sint in inferno tanta, tamque innumerabilia tormenta, quanta nec dici nec estimari possunt, breviter in duobus omnia*



*comprehenduntur tormenta. Erit enim ignis non ad lucendum, sed ad miserorum corpora concremanda. Erit quoque ibi sulphur, quod & fomentum præstabit igni & fetorem gignet intolerabilem, ac per hoc ex igne fator & ex fetore ignis procreabitur. At verò, qui perpetuis ignibus exurit, qui voluptates quærere & avocare animum ad delectationes queat? Deique conversatione utentur damnati diabolorum, qui secundum verisimiliorem sententiam, ab antiquâ inprimis Ecclesiâ traditam, eosdem miserrimè torquebunt. At verò horrenda est vel solus dæmonis in propriâ formâ aspectus; unde Bernhardus memoratus dixisse: malle se fornacem calentissimè ferventem intrare, quam diabolum in suâ propriâ formâ apparentem videre. Basiliius in Pl. XXXIII. Eos, qui multa perperam in vitâ admiserunt, horrendi quidam ac tristes circumstantibus angeli, ignem paratum conuenientes, ignem expirantes propter propositi amarulentiam, cultum præferentes nocti asinilem, præ mærore atque hominum odio. Theophylactus in cap. XIIII. Matth. Quibus autem tortoribus tradidit? forte potestatibus punitricibus, ita, ut perpetuò puniatur. Quomodo verò peccare poterunt illi, quibus perpetuus carnifex hunc ipsum in finem ad latus quasi positus est, ut horrendis pœnis peccantem castiget? Sicut enim, qui ad operas publicas, ob vitam otiosè & perditè actam, condemnati sunt, propter urgentem & verberantem perpetuò exactorem, ignaviam sectari, si vel maximè vellent, non possunt: ita nec peccare damnati, ob præsentiam diabolorum, peccandi temeritatem perpetuis flagellis è vestigio coercentium.*

LXVII. Septimum Albertus Magnus nobis præbet argumentum, à naturâ latæ post perpetratum delictum sententiæ desumptum: Nunquam aliqua culpa extenditur ultra sententiam condemnationis culpæ ejusdem. Sed damnati sententiam suæ damnationis acceperunt. Ergo ultra illam non extenditur culpa. Ergo nec peccant in inferno. Id quod & sequenti ratione confirmat: Adhuc & peccatum, ut dicit Augustinus, ordinatur per Divinam justitiam; quod aliter aliquid inordinatum remaneret in hoc mundo. Sed quod ordinatur, necesse est, ut statum & finem habeat, ultra quem non progrediatur. Ergo & peccatum damnatorum necesse est, quod accipiat finem. Sed finis congruentius imponi non potest, præterquam in morte, quando incipit ordo justitiæ condemnationis. Ergo non ultra peccant in inferno. In judiciis hujus seculi is est sententiæ adversus

com-



commissa crimina latæ finis, eaque judicantis intentio, ut delictis  
 modus & finis statuatur, ne imposterum rempublicam turbent,  
 aut honestatem labefactent. Quare, qui manu alterum privavit,  
 manu privatur & ipse, ne peccare amplius manu possit; & qui fur-  
 tum fecit, suspenditur, ut desinat furari. Est enim omnium pœ-  
 narum is finis, ut partim is, qui peccavit, emendetur, partim alii à  
 peccando deterreantur. Inde quoque pœnas delictis ita aptari  
 cernimus, ut qui semel ex infirmitate errorem commisit, leviori  
 pœnâ, quæ tamen meliorem facile reddit eum, qui non ex habitu,  
 sed errore præoccupatus potius fuit, Gal. VI. 1. quam contaminatus, af-  
 ficiatur, gravior verò & diuturnior constituatur ei, quem consue-  
 tudo peccandi ad peccandum ita facilem & propensum effecit, ut  
 à peccato difficulter avellatur. Ex quo patet, sententiam judicis  
 adversus delinquentem latam, ex mente sententiam ferentis, de-  
 lictum, ne amplius committatur, abolere, eidemque finem impo-  
 nere. Quod autem iudex hujus seculi facit in delicto particula-  
 ri, id convenit multò magis, DEUM supremum omnium homi-  
 num iudicem, facere in peccato universali. In quod, cum ulti-  
 mam & decretoriam quasi promittit sententiam, hæc ita comparatæ  
 esse debet, ut peccatum totum, quippe cui pœnam dicitur, destruat,  
 eidemque supremum, ut ita loquar, terminum ponat. Quod  
 aliquando sine suo terrenus iudex destituitur, & qui peccavit, et-  
 iam post toleratum supplicium, peccare pergit, quique semel pa-  
 ribulum effugit, iterato furandi artificio in illud seipsum agit, id  
 inde est, quia iudicis finita est scientia, quæ intima cordis penetra-  
 lia introspicere non possit: quæ, si scrutari atque cognoscere va-  
 leret pertinacem ad peccandum malitiam, talem sine dubio im-  
 positura esset pœnam, quâ & futura delicta præcaverentur. DEUS  
 igitur, qui occulta cordium novit & cujus propositum frustrari  
 homo nequit, non eam tantum dicitur pœnam, quæ apta nata sit  
 omne terminare peccatum, sed quæ revera quibuslibet delictis fi-  
 nem adferat. Id quod idè quoque necesse est fieri, quia in uni-  
 versali iudicio universalis quoque ordo reducendus est, qui verò,  
 ut ex iis, quæ supra disputavimus, patet, cum perennante in om-  
 nem æternitatem peccato consistere non potest.

LXIX. Octavum apud eundem Albertum, art. II, ex immu-



tabilitate voluntatis damnatae producit argumentum: Non potest demon corrigere voluntatem. Sed quod non potest aliter esse, non habet laudem vel vituperium, ut dicit Tullius. Ergo injustum est, ut videtur, si sibi hoc imputaretur in peccatum. Quamquam verò de dæmonum voluntate propriè quæstio sit Alberto, ratio tamen, quâ utitur, in damnatos quoscunque, ut quilibet videt, nullo negotio quadrat. Quam si in syllogismos adstringas, ita habebunt: Quicquid non habet laudem vel vituperium, id propriè peccare dici non potest. At voluntas dæmonum & in universum damnatorum. Ergo. Major ex Philosophiâ morali docetur, quæ virtuti laudem, vitio vituperium, ut individuos comites, vel potius fidas pedissequas, adjungit. Minor constat hoc argumento: Quicquid aliter sese habere nequit, id non habet laudem vel vituperium. Voluntas damnatorum. Ergo, Majorem probat auctoritas Ciceronis, neque quisquam de cætero refragari potest. Laudamus enim ea duntaxat, quæ cum ad excessum vel defectum declinare potuissent, in mediocritate tamen substiterunt, vituperamus verò, quæ cum bonum eligere potuissent, à malo tamen in diversum se abripi passi sunt. Ubi igitur nulla libertas, nulla ad oppositum indifferentia, ibi nihil est, quod vel laude vel vituperio sive dignum sit sive indignum. Minor probatur hoc syllogismo: Quicquid corrigi nequit, id aliter sese habere non potest. At voluntas damnatorum corrigi nequit. Ergo. Major ex terminis nota est. Minor contra Origenianos æterno quodam Ecclesiæ consensu defenditur.

LXIX. Postquam ex Scholasticorum Commentariis, quæ huc pertinere visa sunt, collegimus, nunc porò nobis dispiciendum est, quibus munimentis à Theologis aliis præfens sententia suffulciatur. Nonum igitur argumentum à μακροθυμία seu longanimitate Divinâ petitur. Μακροθυμία DEI, Rom. II. 4. celebratur: Ἐπλάτη τῆς χρηστότητος αὐτοῦ καὶ ἀνοχῆς καὶ τῆς μακροθυμίας καταφρονεῖς; quæ alibi passim patientia, impropriè sumpto vocabulo, dicitur. Longanimes enim, ait Chrysostronus, Sermon. II. ad Col. I. erga eos sumus, quos ulcisci possumus, patientes verò erga eos, quos ulcisci non possumus. Propterea patientia quidem DEO (propriè) nunquam tribuitur, longanimitas verò sæpissimè. Quemadmodum hic ipse beatus alibi scribens dicit:

aut



aut divitiarum bonitatis illius ac tolerantia, longanimitatisque contemnis?  
 Quamquam verò secundum eundem aurei oris Patrem longanimus cum magnanimo idem fit, Hom. XXXIII. in I. Cor. XIII. Longanimus enim idcirco vocatur, quia longum & ingentem animum habet; nam longum magnum etiam dici consuevit, dubitandum tamen non est, si accuratè loqui velimus, longanimitatem à magnanimitate, ut speciem à genere differre, & longanimum dici, qui ita magnum gerit animum, ut injurias sibi illatas possit longo tempore perferre, & procrastinare pœnas; sicut Valerius Maximus dixit, lib. I. c. II. ex. III. *Lento gradu ad sui vindictam divina procedit ira, sed tarditatem supplicii gravitate compensat.* Apud Hebræos simili denominandî genere longanimus vocatur ארך אפים, Exod. XXXIV. 6. Quod alii quidem vertunt: *tardus ad iram*, seu *iratos*: *longus ad iras*, seu *longus animo vel appetitu irascibili*, redduntque Hebræi dualis numeri: *appajim*, in Sanhedrin & Bava Kama hanc rationem: *quia ארך אפים longanimus est ורשעים לצדיקים erga justos & erga improbos, ut utrique peccantes per tarditatem ire ad penitentiam invitentur*: alii autem rectius verba reddunt: *longus naribus*, quia אף *nasum*, quoque significat & in duali quem res natura duplicata ex se requirit, nonnisi de naribus aut vultu, qui propter narium interstitium geminus quasi videtur, reperitur: & tum: *longus naribus*, per metonymiam est: *tardus ad iram*, cum, qui קצר אפים, *brevis est naribus*, Prov. XIV. 17. id est, naribus angustis, fumos citius concipiat ex cordis æstu ascendentes, eosque cum impetu efflet propter meatuum angustias: at quo longiora & majora sunt narium foramina, eo plus frigidi aëris & spiritus concipiatur ad cor refrigerandum. Unde & qui, *longus naribus*, idem & ארך רוח, *longus seu latus spiritu dicitur*. Eccles. VII. 9. Quare ejusmodi homines naturâ placidiores & mansuetiores habentur. Causa verò, cur DEUS non tam celer sit ad mala punienda, quam pravi homines sunt ad ea perpetranda, sed vindicta ejus tardo pede progrediat, Plutarcho, peculiari de tardâ Numinis vindictâ libello, contra Patrocleam, Philosophum Epicureum, ex hac ipsâ ultionis Divinæ morâ providentiam DEI negantem, neque una neque inepta adducitur. Ut quod hæc ipsa lenta Numinis ira in exemplum nobis proposita sit, quod sequamur, ut crimina invicem nostra



stra pari lenitate vel feramus vel corrigamus, ut, qui ægrè nobis & iniquè fecerunt, iis pœnitendi sp̄atium concedamus, ut denique peccantes à vitiis ad virtutes ipsâ mansuetudine nostrâ traducamus. Quæ singula in sanctiori Philosophiâ palam est, majori & verborum & argumentorum pondere nobis inculcari. *Discite à me, quia* ~~in cœlis ei mihi regi~~ *ταπεινός*; quæ duo ipsâ amplitudine suâ ~~μακροθυμίας~~ involvunt. Matth. XI. 29. *Quilibet homo sit lentus ad iram.* Ira enim viri iustitiam DEI non operatur. Jac. I. 19. 20. Præcipuè verò primarium longanimitatis Divinæ finem esse, ad pœnitentiam invitare peccantem. & si hanc gratiam spreverit, pœnarum augmenta ab illo exposcere, & longanimitatem in furorem convertere, disertis verbis à Paulo docetur: *An divitiarum benignitatis eius & tolerantia ac longanimitatis contemnis, ignorans, hanc benignitatem DEI ad respicientiam te deducere? Tu autem pro duritiâ tuâ & corde, quod respicere nescit, ipse tibi in thesaurum recondis iram in die iræ & revelationis iusti iudicii DEI, qui reddet unicuique secundum opera ipsius.* Rom. II. 4. 5. 6. Utrumque jucundissimis verbis exponit instructissimus ab omnibus eloquentiæ præfidiis, Chrysostomus, Tom. V. Hom. V. de Pœnitentiâ: *Necessarium est, inquiens, fratres, primum DEI nosse intentionem; neque ex nostrâ sapientiâ huic nos ingerimus contumeliationi, sed ipsis ex Divinis Scripturis attestatam veritatem ostendimus. DEI intentio, fratres, longanimen sese peccantibus exhibet. Patienter enim expectat, salutem ipsis è pœnitentiâ spondens, ac posteris suis: ad virtutem commonet, scilicet beneficium reservans. Et quo rursus sermonem assumam, Deus patienter expectat, uti peccatorem pœniteat, & nascendis ex eo nequaquam salutis ocludat viam, quamvis idem culpâ impœnitenti delinquat; parcatque sæpenumero, quo radicis fructus custodiatur. Sæpe & ipsam transfert radicem, veluti prevenientes diximus. Sed tametsi actus ad ultimum malorum cadat, differt tamen DEus, utiliter expectans pœnitentis salutem: & quomodo! audi. Thare, Abraham Pater, idolorum & cultor & factor; sed hoc loco haud impietatis pœnam Thare irrogavit & meritò. Si enim preveniens DEus radicem amputasset, unde tantus fidei fructus germinasset? Quid Esau nequius? consideratur ob alterius occasionem clementia. Malitiâ ille nonne fornicator, nonne prophanus erat? Nonne odibilis Deo, quemadmodum testatur Scriptura, dicens: *Jacob dilexi, Esau autem odio habui?* Si ergo fornicator & patricida & prophanus, & odibilis, quare & protinus meri-*



zam non suscipit animadversionem? Quare pulchrum quidem, fratres, pul-  
 chram causam liber edicere. Si excisus fuisset, maximum fortasse iustitia  
 fructum mundus amisisset: & qualem, audi. Esau genuit Raguelem, Ra-  
 guel Zaram, Zara Job. Cernis, quantus elanguisset patientia flos, si praeve-  
 niens Deus à radice poenas exegisset. Omnibus igitur in rebus & initia spe-  
 culatur & exitus DEUS. Eà namque utitur providentiâ & super Ægyptios,  
 qui ultra fidem blasphemi: patienter expectat, quousque ibi monasteria &  
 Ecclesia, & in illis florent, qui angelicam imitarentur vitam. Nam ad-  
 struunt, & qui de publicis legibus disputant, atque Romanorum mandant leges,  
 pregnantem, si quando contigerit mortis peccato damnari, non prius, quam  
 pepererit, necari: & probè quidem. Neque enim justè legumlatores judi-  
 cassent, cum peccatrice innoxium simul fortum tolli. Quod si humanae leges  
 his parcunt, qui nequaquam peccarunt, nonne Deus decentius, accommodatius-  
 que, radicem custodit, in fructibus poenitentia beneficium reservans? Cape de  
 cætero super ipsis peccantibus è poenitentia beneficium. Nam & in ipsis ipsa  
 clementia redditur ratio, si poenitentiam iustitia prevenisset, perisset mundus  
 omnino atque defuisset. Si velox ad poenam fuisset DEUS, Paulum Ecclesia  
 non possedisset, si primò talem, tanquam noxium, necasset. Propterea distu-  
 lit blasphemantem, ut poenitentem ostenderet DEI longanimitas: lupum in  
 pastorem transtulit DEI longanimitas, publicanum fecit Evangelistam: DEI  
 longanimitas omnium nostrum miserata, omnes convertit, reduxit omnes. Si  
 videris olim ebrium, nunc jejunare, si olim blasphemum, nunc Theologum, si  
 eum, qui quandoque turpibus cantilenis os inquinaverit suum, divinis nunc  
 hymnis animam purgare; mirare Dei longanimitatem, poenitentiamque col-  
 lauda ac demutationem ac conversionem illius suspiciens, dic: hac est mutatio  
 dexterae excelsi. Bonus igitur in omnes DEUS, in peccantes præcipuè suam  
 ostendit longanimitatem. **M**em Chrysostronus. Hom. IX. in II. Cor.  
 V. Tom. IV. Et quare non hic punit? dicit. ut longanimitatem suam de-  
 claret, & salutem ex poenitentia concedat, & non faciat genus nostrum, ut eri-  
 pi nequeat, nec non eos, qui ex mutatione optimâ poterant servari, prius salute  
 privet. Etenim si statim punisset peccantem Paulum, quomodo salvatus esset?  
 Quomodo etiam Petrus? Præcipui Doctores orbis? Quomodo David salutem  
 per poenitentiam lucrifecisset? Quomodo Galata? Quomodo & alii plures?  
 Sane propter hoc non exigit hic poenam ab omnibus, sed à quibusdam ex omni-  
 bus, neque illic ab omnibus, sed ab alio quidem hic, ab alio verò alibi, ut et-  
 iam valde insensatos extimulet, per eos, quos punit, ac futura expectare faciat,



per eos, quos non punit. Hæc ille eximiâ dicendi suavitate. Patet hinc, proprium longanimitatis Divinæ munus, & veluti formalem rationem esse, differre pœnam, ut salutem peccantis aliorumque promoveas. Ubi igitur neque peccantis pœnitentia, *καὶ τὴν κληρότητα ἰανθὴν διὰ τὴν πάρεσιν τῆς καρδίας ἰανθὴν*, obtineri, neque aliorum commodum acquiri potest, ultrò sequitur, longanimitati amplius locum non esse, sed justitiæ potius Divinæ, pœnas tum pro merito, majores, graviioresque, quam si statim punivisset, irroganti. Quod Apostolus *ἠσπασείξεν σταντὸν τὸν ὄργην ἐν ἡμῶν ἔργῳ*, magnâ *ἐμφάσει* dixit, id est, pœnas sibi ingenti cumulo attrahere. Cesante igitur longanimitate, non amplius peccata, quippe quæ in usum virtutis dirigi nequeunt, sed supplicia peccatorum regnant. Chrysostomus, l. p. c. *Quod si longanimitate abutemur, erit tempus, quo non diu erit longanimitas ultra, sed postea intentat pœnam. Ne igitur segnes simus, ut uno momento deliciemur, (hoc est enim præfens vita) & infinitorum seculorum accersamus nobis supplicium, sed momento laboremus, ut perpetuò coronemur.* Id quod Tom. I. Hom. XXV. in Gen. exemplo hominũ diluvio perditorum illustrat, quibus longanimitis Deus centum & viginti annos ad pœnitentiam primò concesserit, deinde verò eum neque resipiscerent, neque resipiscere vellent, viginti annos ex illo numero idèò abruperit & centesimo anno induxerit diluvium, ut furori & peccato finem faceret, nec pœna eorundem quot annorum, tot culpæ augmentis ingravesceret. Illi autem, inquit, de quibus nunc sermo, tempus centum & viginti annorum ad pœnitentiam acceperant, neque aliquid inde lucrifecerunt. Proinde Dominus videns in multam illos excidisse malitiam, celerem ipsis induit castigationem, aboletque & E MEDIO TOLLIT PECCANDI FUREM. . . . . Jam si forte quis querat, quare, cum dixerit Dominus, centum & viginti anni erunt dies eorum, promiseritque, se tanto tempore longanimitate usurum, antequam implerentur anni promissi, universale introduxit excidium? Etiam hoc suæ misericordie maximum est argumentum & indicium. Nam quoniam vidit, quotidie intolerabiliter illos peccare & non solum nihil ineffabili longanimitate suâ proficere, sed & incrudescere ulcera, propterea abruptit tempus, ut ne majori scilicet pœna se obnoxios facerent. Quæ omnia, ut hoc loco paulò fusius adduceremus, profus necessarium fuit, cum sine rectè intellectâ longanimitatis naturâ, non constet, quomodo



à longanimitate DEI ad terminationem peccatorum infernalium colligi possit? Istà verò probè cognitâ, ita concludi posse videtur: Quando desinit longanimitas Divina, desinit peccatum, quippe, quod est objectum longanimitatis. At tempore extremi iudicii & iræ Divinæ desinit longanimitas Divina. Rom. II. 5. Ergo tempore extremi iudicii desinit peccatum. Minor amplius probatur hoc modo: ubi desinit proprius finis longanimitatis, ibi ipsa desinit longanimitas. At extremo iudicii die. Ergo. Minor indubitata est ex iis, quæ hætenus disputavimus.

LXX. Prodit nunc argumentum decimum, ab exemplo Christi, qui infernales pœnas sine ullo peccato sustinuit, depromptum. Sive enim peccatum sit de essentiâ pœnarum infernalium, sive indivulso & necessario nexu illis conjunctum, pati Christus infernales cruciatus non potuit, nisi simul peccaret, aut si sine peccato eosdem passus est, cum damnatorum statu peccatum non erit ullâ necessitate connexum. Jam verò Christum infernalibus supplicia nostri causâ verè gustasse, fides catholica extra omne dubium ponit. Eam enim pœnam subiit, quæ, qualisque nobis debebatur, quæ peccato in iudicio divino destinabatur, quæ DEO irato satisfaciebat, eundemque placabat & quâ toleratâ, impunitatem nos consequi poteramus. Talis autem non est alia, quam infernalis. Præterea Christum ubique sine ullâ peccati labe fuisse, haud minus indubitatum est. Quod si dicas, circumstantiam duntaxat aliquam & accidens pœnæ infernalis esse peccatum, quod, salvâ inferni, ut ita loquamur, essentiâ abesse à pœnâ possit, & adesse tamen, ut eandem non tollat; hoc saltem infertur, aliquos esse infernalis barathricives, qui peccatis nullis sint commaculati; & præterea multis argumentis, pro peccato damnatorum concludentibus, vires roburque succidi, quo minus pro opinione affirmante rectè colligant, vel, si vis aliqua iis constet, fore, ut Christum eidem peccato involvant. Aut enim argumenta ista hanc conclusionem necessariò inferunt: Ergo damnati peccant; & sic quoque Christus peccabit, quippe iudicio divino ob aliena peccata damnatus; aut contingenter duntaxat: & sic nihil certi pro sententiâ contrariâ concludetur. Argumentum hoc ita pingit R. Bellarminus, lib. IV. de Christi Anim. c. IIX, *Pœna damna-*



eorum includit essentialiter desperationem salutis, sicut felicitas includit certitudinem salutis nunquam amittenda. Spes autem cum desperatione consistere non potest. Ergo Christus vel simpliciter desperavit, vel verè non pertulit pœnas damnatorum & proinde non verè nos liberavit. Præterea, quando Christus emisit verba desperationis, vel emisit deliberatâ voluntate, vel non. Si primum, ergo verè desperavit & peccavit. Si secundum, ergo in Christo fuit inordinatio passionum, quandoquidem potuit metus prævenire rationem & extorquere vocem desperationis invitâ voluntate. At hoc est contra Calvinum.

LXXI. Devolvimur nunc ad argumenta Hugonis Sanfordi, & Roberti Parkeri, virorum doctissimorum, quibus præsentem sententiam magno nisu propugnant. Undecimo igitur argumento servit illustris locus, Rom. VI. 7. quem proinde necesse est in suâmet & peregrinis linguis audiri. Græcus textus: ὁ δὲ θάνατος. *θάνατος δὲ δικαιοσύνης ἀπὸ τῆς ἀμαρτίας.* Vulgata versio: *Qui enim mortuus est, liberatus est à peccato.* Bezzæ: *Etenim, qui mortuus est, liber est à peccato.* Lutheri: *Dann/wer gestorben ist, der ist gerechtfertigt von der Sünde.* Sanfordus igitur ex hoc loco ita colligit: *Recepta sapientum opinio est, in inferno non peccari, quæ & certissima ratione nititur. Etenim diserit Paulus, Rom. VI. 7. Qui mortuus est, à peccato liber est. Quod Ambrosius, (Com. in Epist. ad Rom. VI. 4.) non immeritò ad omnes naturaliter mortuos extendit: qui moritur, peccare desinit, sic ut mors finis peccati sit. Accedit Chrysostomus: (Hom. X. in Rom. VI. Tom. I V.) Qui mortuus est, justificatus est à peccato. De quovis ista homine dicit, nimirum, quod, qui moritur, liber jam est à peccato, quamprimum mortuus deponitur. Quisquis moritur, utique jam amplius peccare non poterit. Vis argumenti plana est: Nullus à peccato liberatus peccat; Omnis mortuus, adeoque & omnis damnatus, à peccato liberatus est. Ergo: Nullus damnatus peccat. Ut majoris veritas evidentiore sit, notat Sanfordus, vocem: δικαιοσύνης, hoc loco non vulgari sensu, qui est absolvere à peccatis, (multi quippe à peccatis absoluti in peccatum relabuntur) sed proprio usurpari, qui est liberari à peccato & mundum fieri. Nam eundem sensum & contextus capituli illius, in cujus versu 18. τὸ δὲ δικαιοσύνης ἀπὸ τῆς ἀμαρτίας, PER: ἰλουθροθίνης ἀπὸ τῆς ἀμαρτίας, exponitur, requirit, & veteres pariter atque recentiores agnoscunt. Ex veteribus in hanc rem allegantur, Ambrosius*

at-



atque Chrysoſtomus, quibus ſociari poſſunt græcæ literaturæ pe-  
 ritiffimi, Baſilius Magnus, qui λόγος περί βωπτισματός, ex ed. Baſ. pag.  
 589. ὁ γὰρ ἀποθανὼν διδικαίωται ἀπὸ τῆς ἀμαρτίας τούτου, ἀπὸ θανάτου, ἢ λιυθίρω-  
 ται, καὶ ἀδικίας πάλιν ἀμαρτίας, τῆς ἕκ ἐργῶν καὶ λόγων μόνου, ἀλλὰ καὶ ἀποστρα-  
 φῆς ἐνθυμώσεως: i. e. Jano Cornario interprete, p. 417. *Qui mortuus  
 est, justificatus est à peccato, h. e. recessit, liberatus est, mundatus est ab omni  
 peccato, non in operibus & sermonibus solum, sed etiam ab affectuosâ cogita-  
 tione.* Cyrillus, (sive Hierosolymitanus ille sit sive Alexandrinus,  
 sive alius, non constat:) in Expositione antiquâ Epist. ad Rom. à  
 Maximo Donato, Veronensi, Veronæ A. MD XXXII. editâ, p. 292.  
 ὁ γὰρ ἀποθανὼν ἐξδικαίωται ἀπὸ τῆς ἀμαρτίας. ἔρεθε, ὅτι ὅσοι εἰς τὸ ἀμαρτάνειν δοῖ ἡ-  
 μᾶς ἀποικίους. ὁ γὰρ ἀποθανὼν, φησι, διδικαίωται, τούτου, ἀπὸ θανάτου καὶ ἢ λιυθίρω-  
 ται ἀπὸ τῆς ἀμαρτίας. Theodoretus Cyrensis, Tom. II. in Epist. ad  
 Rom. pag. 20. *Qui enim mortuus est, justificatus est à peccato. Quis enim  
 unquam vidit mortuum vel alienum cubile constuprarem, vel homicidio ma-  
 nus suas cruentantem, vel aliquid aliud turpe & flagitiosum agentem?* Theo-  
 phylactus, pro more, verba retinet Chrysoſtomi, p. 439. ex versio-  
 ne Philippi Montani: *Qui enim mortuus est, justificatus est à peccato. De  
 quolibet homine hoc ait. Quem admodum, qui vitâ defunctus est, justificatus  
 est à peccato, h. e. absolutus est, liberatus est. Cum igitur major firma  
 sit, de Minore dubium esse nequit, quippe quam ipsa Apostoli ver-  
 ba, sine ullâ limitatione posita, complectuntur. Terminus enim:  
 qui mortuus est, indefinitus est, adeoque universalis, juxta regulam  
 Logicam: Indefinita propositio ordinariè æquipollet universali.  
 Qui autem de omni mortuo loquitur, is & de eo loquitur, qui na-  
 turalem obiit mortem, immò, qui æternâ atque infernali defun-  
 ctus est morte. Quâ ratione moti, antea à nobis citati, Ecclesiæ  
 veteris Doctores, de naturali morte, quæ omnes homines, etiam  
 infideles, manet, verba clarissimè exposuerunt. Quinimò hinc  
 quoque hausisse cæteros magno numero Patres, verosimile judi-  
 cat Sanfordus, quod sententiam de negatis inferorum peccatis  
 passim tradiderint. Expendantur, inquit, jam Patres. Ita Ambro-  
 sius, lib. II. c. VI. de Sacram. Mors interveniens finem facit peccati. Quan-  
 do enim morimur, utique peccare desinimus. Rursus, de Bono mortis, c. VII.  
 Gravius est ad peccatum vivere, quam in peccato mori; quia impius, quam-  
 diu vivit, peccatum auget, si moriatur, peccare desinit. In eadem sententiâ*

Hic



Hieronymus fuit, vel Beda potius, cum in Prov. c. XXVII. ita diceret: Ideo sine fine poenas luunt, quia voluntatem habuerunt, sine fine peccandi, si naturam haberent, sine fine vivendi. Similiter Gregorius, Dial. lib. IV. c. XLIV. Iniqui ideo cum sine deliquerunt, quia cum sine vixerunt. Nam voluissent utique, si potuissent, sine fine peccare. Ostendunt enim, quia in peccato semper vivere cupiunt, qui nunquam desinunt peccare, dum vivunt. Ad magnam ergo iustitiam iudicantis pertinet, ut nunquam careant supplicio, qui in hac vita nunquam voluerunt careere peccato. Ita Procopius, in Es. c. XXXIIX. Relicti in morte, non virtutibus promoventes sunt, immo nec peccantes, sed tempus iudicii expectantes. Ita Olympiodorus, in Eccles. c. IX. In inferno practica operationes esse non possunt . . . . . ad id solum delati sunt ad infernum, ut aeternis, torqueantur suppliciis. Ita Damascenus, libro contr. Manich. In inferno nulla vitii aut peccati actio futura est. Ita Nicolaus de Lyra, in Eccl. IX. In inferno non est opus ad merendum. Ita Strabus in glossâ ordinariâ, in librum Ecclesiastici, in c. XIV. Post mortem non est tempus operandi, sed mercedem recipiendi. Ita Thomas Aquinas, Part. III. Qu. LII. Obijciatur, Christum non descendi se ad aliquod malum. Respondet, inferos significare malum poenae, non culpae. Postremo, Joannes Picus de Mirandulâ, Apol. Conc. II. in damnatis praeteritorum tantum peccatorum reatum & maculam remanere dicit, ob qua puniuntur in aeternum, peccati vero novi alicujus actum in iis nullum agnoscit. Addendus est, quem initio pro duxerat, Augustinus, Ench. c. VI. Ad damnatos, quod attinet, facultatem iis peccandi omnem non inscitè Augustinus adimit. Is etenim de malis in inferno damnatis, & bonis in caelo glorificatis, verba faciens, ita affirmat: nec bonis voluntas, nec malis facultas peccandi esse potest.

LXXII. Duodecimum argumentum Sanfordus promit ex naturâ poenarum infernalium, quæ in passione merâ consistit. Verba hæc sunt: Et cui quæso ignotum est, infernum tantum patiendi locum esse, non autem agendi? quodque anima damnati hominis ita penis obruatur, ut ne cogitationem quidem ullam concipere possit, quæ ad peccatum vergat? Passionis locum esse infernum, haud immeritò extra dubitationis aleam ponit Sanfordus. Est enim infernus locus poenarum. Poenæ autem formaliter in passionibus & privationibus consistunt. Poena quippe nihil aliud est, quam inordinatio quædam & privatio debitæ perfectionis, cum sensu passionis cujusdam conjuncta. Sicut qui carceris subit poenam, libertate à naturâ sibi & lege Reip.

con-



concessâ, & qui capite plectitur, membro, ad integram corporis sui perfectionem pertinente, privatur, ibi non sine animi, hic non sine corporis patientis sensu. Præterea cum Sacræ literæ infelicitium in inferno animarum supplicia describunt, passivis ubique vocabulis, aut passionem inferentibus utuntur. Vocant ignem, at ignis non nisi passiones excitat in humano corpore. Appellat vermem rodentem. At rodi passionis est. Qui in inferno sunt, plangunt & lugent & clamant & ululant & plorant & dentibus strident. At talia vel passiones sunt vel passionis signa. Et quis ignorat, inferni propria hæc esse, abjici à facie DEI, mori æternâ morte, separari ab omni gaudio, condemnari ac perdi, premi iræ Divinæ magnitudine, torqueri à diabolis, dolere corpore, horrere animâ? At hæc singula subire, pati est, non agere. Denique ipsa iustitiæ Divinæ hoc indoles requirit, ut qui mala perpetravit, mala perpetiatur. Quod innuit Abraham, epuloni respondens: *Τίνοι, μηδῆτι, ὅτι ἀπίλαβες σὺ τὰ ἀγαθὰ σου ἐν τῷ ζωῆ σου, καὶ λάζαρος ὁμοίως τὰ κακὰ τῶν δι' ὅδε παρεγκαλεῖται, σὺ δὲ ἰδούσῃς*: Fili, memento, te bona tua recepisse in vitâ tuâ, & Lazarum similiter mala, nunc autem hic solamen recipit, tu verò cruciaris. Luc. XVI. 25. Prosper Aquit. Libr. III. de vitâ Contempl. c. XII. idem ex Matth. XXII. 13. probat hunc in modum: Nonne ad hæc obmutescentes, & quid excusationis referant, non habentes, dicit: ligate eos manibus & pedibus & mittite in tenebras exteriores, ibi erit stetus & stridor dentium, ubi vermis eorum non morietur & ignis eorum non exstinguetur. Et quid est obmutescentes manibus & pedibus ligari, nisi in inferno, ubi DEO nemo confitetur, actione privari? Sicut in exteriores tenebras mitti, nihil aliud erit, nisi à Domino, qui est mentium lumen expelli? Jam ubi mera passio est, ubi actionis perpetua privatio, ibi vel bona vel mala agere damnatos impossibile est. Cujus argumentationis vis efficacius adstringitur, si pœnarum infernalium excellentiam, de quâ supra diximus, accuratius intueamur. Si enim infernalium pati supplicia, ceu Prosper pergit describere, est, à gaudio Divinæ contemplationis excludi, beatissimâ sanctorum omnium societate privari, fieri patriæ cœlestis extorrem, mori vitæ beatæ, morti vivere sempiternæ, in æternum ignem cum Diabolo & angelis ejus expelli, ubi sit mors secunda damnatis exilium, vitæ supplicium, non sentire in illo igne, quod illuminat, sentire, quod cruciat, exundantis incendii terribiles crepitus pati, Bara-







*aquâ refrigerium postularet. Vetustior Hieronymo Tertullianus, aquâ guttulam, diviti negatam, solatium interpretatur, lib. de Anim. p. 644. Dolet apud inferos anima cujusdam, & punitur in flammâ, & punitur in linguâ & de digito animæ felicioris implorat solatium roris. Gregorius M. libr. XIII. Expos. Moral. c. XII. ad verba Hiobi. c. XXVII. 20. apprehendet eum, quasi aqua, inopia; hæc habet: Videamus nunc inopiam ardentis divitis, cujus tanta abundantia fuit epulantis. Ait enim: pater Abraham, miserere mei, & mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam, & refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flammâ. Quibus verbis non hoc nobis innotescitur, quia illic in tanto ardore unâ tunc ad sufficientiam refrigerii aquæ stilla requiratur, sed quod is, quæ de abundantia peccaverit, illic æstuanti nimis cremetur inopia. Videmus enim in verbis divitis ex subtilissimo DEI judicio, quam digna tali culpæ pœna responderit. Agente namque inopia illic usque ad minima petenda compulsus est, qui hic agente tenacia usque ad minima neganda pervenit. Quid retribui subtilius, quid restrictius potest? guttam aquæ petiit, qui micæ panis negavit. Apprehendit eum, quasi aqua, inopia. Non immerito aqua tunc illa inopia comparatur, quia in inferno cruciat, qui susceptos in profundis absorbens solet lacus nomine designari. Unde per prophetam quoque humani generis voce dicitur: lapsa est in lacum vita mea. Si igitur nullum prorsus solatium, nulla, & ne minima quidem, recreationis guttula damnatis convenit, peccare, aut saltem blasphemare & quod horrendum dictu est, perpetuò lædere majestatem Divinam, non poterunt. Est enim blasphemia effectus animi, vindictam, ultionemque, quam opere ipso aut facto inferre supremo numini nequeunt homines scelesti, verborum petulantia & maledicentia referentis. Sicut furiosi canes, cum catenis constringuntur, latratu contra eos, qui libertate eos spoliaverunt, quos moribus mallent conficere, infelicitatem suam solantur: ita perditii homines, cum manibus nequeunt furere adversus eos, qui peccandi ipsis licentiam ademerunt, caninis linguæ moribus eisdem allatrant, inque ignobili hac verborum vindicta magnam collocant civilis beatitudinis partem. Tritum est Juvenalis, Sat. XIII. dictum:*

*Est vindicta bonum, vitâ jucundius ipsâ.*

Abfit autem, ut quidquam bonum, quidquam jucundum, nedum  
 N 2 vita



vitâ jucundius ipsâ accidere possit illis, qui omnia mala perpetuantur, qui amaritudinem infernalis exitii perpetuò degustant, quorum vita æterna mors est & supplicium æternum.

LXXIV. Succedit aliud apud Sanfordum, nobisque decimum & quartum argumentum, ab interminabili & nunquam interruptâ dolorum vehementissimorum continuatione, quod his verborum ornamentis format: *Quod si autem hoc ita non sit, ea tamen tormentorum in inferno continuatio est, ut requies nulla, neque diu neque noctu concedatur. Apoc. XIV. II. aut libertas ad peccandum. Quid igitur? Peccatum in inferno statuere non possumus, nisi illam de penarum mitigatione anilem stultitiam revocemus, de quâ Augustinus, Enchir. c. CX. CXII. penas damnatorum certis temporum intervallis existiment, si hoc iis placet, aliquatenus mitigari: etiam sic quippe intelligi potest, in iis manere ira DEI, hoc est, ipsa damnatio. Rectè Cyprianus, ad Demetr. (p. 150. ed. Bas. Anno MD XL.) Cremabit addictos ardens semper gehenna, & vivacibus flammis vorax pœna, nec erit, unde habere tormenta vel requiem possint aliquando, vel finem. Rectè etiam Bernhardus, de Dedic. Eccl. c. VI. (Serm. VI. in Ded. Templ. p. 399.) Si licet dicere, apud impios est, (DEUS) in dissimulatione, apud justos in veritate, apud angelos in felicitate, apud inferos in feritate suâ. Durum vobis sonat, quod feritatem dixi, ego verò & iram veveor & furorem. Furor itaque Dei, (verba sunt Sanfordi) in damnatos totus effusus est, absque ullâ misericordia demonstratione ad pœnas eorum vel ex minimo mitigandas. Nervus collectionis hic est: Quicumque continuo exquisitissimi doloris sensu ita obruuntur, ut nec requiem unquam habeant, nec finem, illi animum ad peccandum adplicare, adeoque vitiosos committere actus non possunt. Sicut enim in hac vitâ tormentorum acerbitas & vehementia sensu quandoque hominem privat, quod exemplis eorum, qui pressi torturis & eculéo excruciatii fuerunt, docetur: ita in alterâ vitâ, ubi in stuporem redigi sensus haud poterunt, stupore certè intellectum & voluntatem opprimet doloris immanitas, ut fingere scelera & meditari blasphemias & moliri facinora nequaquam sint valitura. Jam verò damnatis perpetuus sine ullâ intermissione, isque acerrimus inuritur dolor. Apocal. XIV. II. & Esai. LXVI. vers. 24. Ergo.*

LXXV. Argumentum decimum quintum constituit auctori-



tas Doctorum Scholasticorum, de quibus ita Sanfordus: *At peccare, inquit, damnati possunt, etsi agere non possunt: habitu nimirum & voluntate, etsi in actum prorumpere ille habitus nequeat. Negare videtur Bonaventura, voluntatem in damnatis peccandi ullam esse. Mala voluntas in poenam, inquit, & bona voluntas in gloriam: si peccare possent damnati, crederet poena in infinitum. Nollent peccasse propter supplicii acerbiteriam & delectatio peccati jam omnis evanuit. Contra Lombardus: Queritur, inquit, quomodo non peccent damnati, quum malam habeant voluntatem? Quidam autumant, voluntatem illam non esse peccatum, sed supplicium tantum: alii verò peccatum esse fatentur, sed dicunt, non esse meritum supplicii, sed supplicium mali meriti, quod in vitam præcescit, ad quod ipse inclinatur. At non pro magistri acumine Lombardus nodum istum solvit. Peccati etenim merces mors, Rom. VI. 23. ita, peccatum, si prava damnatorum voluntas sit, & meritum quoque supplicii erit. Non animadvertit nimirum illud Apostoli, ubi nulla lex est, ibi nulla transgressio. Rom. V. vers. 13. Scholastici Theologi, quos magnos & ingeniosos homines appellat Apologia August. Confess. pag. 103. seculo post natum Christum duodecimo Scholasticas Cathedras occuparunt; quamquam Anno 930. hoc factum esse, Oratione de Usu & utilitate Locorum Communium scribat Mart. Chemnitius. Quamquam verò hi Theologi à sacrarum literarum normâ in nonnullis non parum recesserint, negari tamen nequit, Philosophica studia magnâ diligentia, magnoque simul successu excoluisse, atque hanc ipsam ob causam, eas in Theologia quæstiones & controversias, quæ sine adminiculo bonarum literarum feliciter decidi non possunt, accuratè elucidasse. Argumento est, quod è Doctoribus cum Pontificiis tum Evangelicis plerique, Theologiam Scholasticam eximie commendant, nec ad solidæ eruditionis culmen quemquam sine illius haud perfunctoriâ lectione eniti posse, graviter pronuncient. Melchior Canus, Locor. Commun. lib. II. c. I. p. 378. Non minima Scholasticæ auctoritas esse potest, quam parvi facere nemo sine fidei discrimine potest. D. Georg. Calixtus, Part. II. Gründl. Widers. Busch. c. V. p. 85. 336. Die Scholastici Theologi haben sich umb das studium Philosophiæ herrlich meritirt und was auf demselben von heydniſchen oder Mahumetanischen Philosophis gegen unsere Christliche Religion vermeintlich außgebracht werden wollen/ stattdich widerlegt/ auch viel schwere Theologische*



gische Quæstiones, welche sine adminiculo bonarum artium der Ge-  
bühr nicht erörtert werden können/ wohl erklärt. Es bezeugen D. Hut-  
teri zu Wittenberg und D. Gerhardi zu Jena aufgelassene weislauffrige  
Loci Communes, genugsam / daß sie beide Patres und Scholasticos  
gelesen / anziehen und der Wahrheit zu Steuer vielfältig gebrauchen.  
Gisbertus Voërius, qui integrâ Dissertatione Theologiam Scho-  
lasticam expendit, Part. I. Disput. Sel. pag. 26. *Scholastici terminos  
& distinctiones multas, rebus alioquin obscurissimis & difficillimis elucidan-  
dis, excogitarunt; quibus mirificè juvari ingenium & memoriam hominis,  
& expeditissimè ac tutissimè mysteria multa Theologica explicari ac defen-  
di, nemo inficias ibit, nisi solida Theologiae ignarus.* Jam verò, Scho-  
lasticos Theologos plerosque vel inclinare in eam sententiam,  
vel defendere eandem: damnatos propriè & actualiter non  
peccare, vel inde constat, quod Magistri ea fuit opinio, quam  
cœteri plerumque sequuntur. Allegavimus §. XIII. & seqq.  
eam in rem post P. Lombardum, Henricum Gorichem, Eust. Bo-  
naventuram, Alb. Magnum, Thom. Aquinatem, Petrum de Pa-  
lude, Joannem Scotum, Petrum de Aquilâ, & Thomam de Ar-  
gentinâ, qui, quamquam in unâ alterâque hypothesi à se invicem  
dissentiant, consensu tamen quodam affirmantem sententiam &  
argumentis tuentur & ab objectionibus liberant. At verò tot tan-  
tosque in Ecclesiâ veteri per plurima seculorum intervalla Docto-  
res, conjuncto quasi studio, *ἐμὸν δὲ ἔργον* in errorem incubuisse, vero  
nequaquam simile videtur.

LXXVI. Decimum & sextum argumentum ex negato pecca-  
ti objecto procedit, apud Sanfordum: *Ubi nulla lex est, ibi nulla trans-  
gressio est. Rom. V. 13. Legem verò post hanc vitam demortuis nullam impe-  
ritare, quis ignorat? At degenerat, inquires, sive voluntas prava Lombardi,  
sive voluntas Bonaventurae minimè recta, ab illâ primævâ rectitudine, in quâ  
Adamus creabatur. Degenerat sanè, sed ita animalia degenerant etiam, que  
tamen, quia sub lege minimè sunt, idè & peccatum nullum habere possunt.*  
Habet hic argumentum & argumenti vindicias. Argumentum  
hoc est: Ubi nulla lex est, ibi nulla transgressio est seu peccatum.  
At in inferno nulla lex est. Ergo in inferno nulla transgressio est,  
seu peccatum. Major constat partim effato Apostolico, Rom. V.  
V. 13. *ἀμαρτία ἀκίνητος ἔστιν, καὶ ὅτι ἡ νόμος;* non estimandum est, esse peccatum,  
ubi

liberum est lex:  
etiam in I. Jo  
igitur rectum  
barur, parum  
quam dicitur  
ex fine legis, q  
statem & Reip  
honestas, neq  
returur est ad  
honestari, nun  
jocere? part  
libera, seu in  
in non possunt  
mò ne agere  
Manet ergo  
Quod si reg  
quâ Adam  
dicit Sanford  
infringendo.  
deviant potest  
Ex quo patet  
esse: Quis  
rentione Div  
latam esse, gr  
peccatum esse  
vel prohibere  
queas. Pr  
absolutâ in  
dem imper  
Paret autem  
quam aut ve  
mibus, ju  
hominibus  
creatâ perfe  
proprietis  
tem gerere



*ubi non est lex* : partim ex definitione & quidditate peccati, quod est *avouia*, I. Joh. III. 4. id est, deviatio à rectitudine legis. Ubi igitur rectum non est, ibi defectus à recto esse nequit. Minor probatur, partim ex principio legis, quod est DEUS, qui verò nunquam damnatis legem se tulisse ullo indicio significavit: partim ex fine legis, qui est dirigere actiones hominis ad publicam honestatem & Reip. salutem; at apud inferos neque Respub. est, neque honestas, neque directio: (quomodo enim DEUS per legem directurus est ad honestatem & virtutem eos, quos nunquam vult honestati, nunquam virtuti deditos esse, sed perpetuis pœnis subjacere?) partim ex subjecto legis, quod est creatura rationalis & libera, seu indifferenter se ad bonum & malum habens; at damnati non possunt obedire legi, non possunt honestati studere, quinimò ne agere quidem quidquam possunt, sicut supra probatum est. Manet ergo, nullam eos transgredi legem, adeoque nec peccare. Quod si regeras: Quicumque declinat à primævâ rectitudine, in quâ Adamus creatus est, is peccat. At damnati. Ergo. Respondet Sanfordus, majoris amplitudinem per manifestam instantiam infringendo. Nempe bruta quoque animalia degenerant, seu deviant potius, à primævâ illâ rectitudine, & tamen non peccant. Ex quo patet, majorem ex ante adducto discursu ita limitandam esse: Quicumque declinat à primævâ rectitudinis lege, ipsi ex intentione Divinâ latâ, is peccat. At verò damnatis illam legem latam esse, gravissimis rationibus antea refutatum fuit. Nempe peccatum esse nequit, ubi non est lex, quæ aliquid vel præcipiat vel prohibeat, quam vel omittendo vel committendo violare queas. Prætera lex esse nequit, ubi non est, qui legem ferat, qui absolutâ in sibi subjectos potestate gaudeat, qui pro arbitrio iisdem imperet & quæ facienda sint, quæ omittenda, præscribat. Patet autem, post hanc vitam neminem esse, qui præcipere quicumquam aut vetare possit, præterquam DEum, qui, subjectis sibi omnibus, *futurus est omnia in omnibus*, I. Cor. XV. 28. Jam verò Deum, hominibus à se creatis, leges tulisse, quibus observatis vel in concreatâ perfectione conservari, vel ad eandem instaurari possent, propositis vel præmiis, si obsequium præstarent, vel pœnis, si morem gerere renuerent, è sacris tabulis clarissimè edocemur; at ho-  
mi-







LXXVII. Produximus hætenus ex Hug. Sanfordo, Anglo, argumenta, quæ negantem sententiam magno pondere fulcire Auctori visa, atque ideò laudata quoque fuere, acerrimi iudicii Theologo, D. Dorſcheo, Theol. Zach. Part. I. c. IX. §. 197. Nunc priusquam manum hinc moveamus, unum alterumque, quod ab aliis adducitur, adjiciemus. Decimum igitur & septimum argumentum defumitur ex impiorum totali interitu. Pf. XLIX. 15. כצאן לשאל שתו כצאן ירעם: Vetust translatio: *Sicut oves in inferno positi sunt, mors depascet eos.* Fr. Vatablus & Sant. Pagninus. *Sicut pecora in inferno ponentur, mors pascet eos.* Imm. Tremellius & Fr. Junius: *Tanquam pecudes in sepulcro dispositos mors depascet eos.* Lutherus: *Sie liegen in der Hölle/wie Schaffe/ der Todt naget sie.* Comparantur hic impii cum pecoribus, id est, morticinis, in cloacis, exquilis vel puticulis, utpote nullius usus, projectis. R. Dav. Kimchi ita <sup>וּמִפִּי הַדְּבָרִים</sup> כצאן לשאל שתו כמו הרועה שאוסף הצאן כן יתה הרועה שלהם המורג שיאסף אותם אל שאל ויחיה שתו פועל עומדי כמו הרשתו או הם שתו עצמם לשאלו בלי תקוה שתהיה להם אחר המורג באחוז הדרך הרעה. *Sicut grex pecorum in inferno ponentur. Sicut Pastor, qui congregat gregem: ita erit pastor hic, qui ipsis mors est, qui que congregabit illos in infernum.* Verbum: Schatu, (quod in hac flexione seu formâ alias activè significat: posuerunt) hoc loco neutraliter ponitur, q. d. ponuntur. Vel cerè, hic est sensus, posuerunt semetipsos in infernum, absque spe, quæ ipsis esse posset post mortem, cum apprehenderint viam malam. Quam activam ponendi significationem laudat Theodoretus, h. l. scribens: *Hoc magis dilucidè Symmachus explanavit: sicut oves inferorum constituerunt seipsos, mors reget eos. Quandoquidem ipsi supplicia sibi ipsis adsciverunt & magis mortem, quam vitam, voluerunt.* Quem sequitur Salo. Gesnerus, in h. l. *Emphasis, ajens, inest, in voce gregis, quâ ostendit Spiritus S. deplorandam esse miseriam, quod maxima pars generis humani suo pte vitio & extremâ cecitate (quâ interpretatione agendi vim in verbo: posuerunt, latentem, haud incommodè circumſcribit) in æternum ruat exitium, cum pauci admodum viam æternæ salutis ingredientur.* Comparisonem verò hic quandam institui inter impios atq; oves, respectu mortis & mortem insequentis status, extra dubitationis aleam positum est, probantq; ut plerique Interpretes advertunt, pastoraes termini, צאן, grex



ovium seu pecorum, & פָּשְׁתָּם, pascet eos, seu ad pascua ad instar pastoris deducet. In adplicandis comparationis membris nonnihil dissentiunt, quamquam neque sensui loci neque scopo nostro obfit ille dissensus. Integram enim comparationem hunc in modum plerique suppleunt: sicuti pecora, cum ex lue moriuntur, à pastore à vivo vegetoque grege separata, in cloacas publicas projiciuntur, & quæ ante fœno atque gramine à pastore pastæ sunt atque nutritæ, posthac à morte pascuntur, ut, quemadmodum ex illo pastu vitam, vigorem, delicias, ita ex hoc mortem, actionum vitalium carentiam, consumptionem hauriant: ita impii, quamquam divitiis in hoc mundo & fastu & deliciis turgidi, cum ex peccatis & sceleribus coram facie & oculis DEI moriuntur, tandem à cœtu fidelium separati & in sepulcrum, ubi spes amplius exfoveâ & cloacâ eluctandi non est, nempe in infernum, projecti, sicut antea à DEO gratiæ suæ longanimitate pasti atque nutriti sunt, ita postea à morte primâ atque secundâ pascuntur, ut quemadmodum antea ex fonte exuberantis DEI gratiæ, qui solem suum super pios pariter atque impios oriri facit, vitam, florem, voluptates hauerunt, ita postea morte, mœrore & omnium actionum vitalium defectu consumantur. Quod idem & Petrus Apostolus dixit, II. Ep. II. 12. *Isti, veluti animantia rationis expertia, que naturali impetu feruntur, facta in eum finem, ut capta intereant, ea vituperantes, que ignorant, suâ ipsorum corruptelâ interibunt.* Quod quid aliud est, quam eos, qui bestiarum vitam indolemque in vitâ imitati sunt, in morte haud absimiles illis futuros esse, & sicut brutorum memoria pariter atque actio omnis morte interit atque finem consequitur: ita & in impiorum exitu cessaturum esse omne id, in quo imitatione quadam bestias quondam referebant? Ex quibus hoc fluit argumentum: qualis mors est bestiarum, relata ad vitam, quæ mortem antecessit, talis quoque est interitus impiorum in respectu ad eorundem vitam consideratus. At illarum mors talis est, ut post actiones vitales harum privationem subeant, & post excitatum in naribus pastoris fœtorem, in locum remotiorem, ne fœtere amplius possint, projiciantur. Ergo talis est quoque impiorum interitus, ut post actiones hujus vitæ meras vitæ alterius passiones sentiant & post excitatum in naribus DEI per peccata & scelera

fœ-

ferrem, in  
locum, ne p  
vocare, abj  
LXXV  
mnatio  
hoc, vel  
quidem voc  
idem, ut fur  
rationem  
versus conne  
me, dagesch  
consente in  
na, in futur  
quam augm  
per breven  
moto acco  
catum, pr  
tit. Prae  
cum denot  
surdâ effice  
(2) suppon  
hoc silenti  
m, verif  
dolofis & p  
tillimâ lin  
vatore, n  
rumque p  
tur partim  
mendacia  
maledicent  
lent, blasf  
non pote  
prorsus ca  
LXX  
cus timor  
supremi p



foetorem, in tenebras exteriores, tanquam destinatum supplicii locum, ne peccare amplius & DEUM possint ad iram justam provocare, abjiciantur.

LXXXIX. Decimum & octavum argumentum silentium damnatorum constituit, à Davide prædicatum: יבשו רשעים ידמו, לישאור, *erubescant impii & sileant in inferno.* Psalm. XXXI. 18. Forma quidem vocis: ידמו, *tiddemu*, irregularis est & posita vel pro: ידמו, *tidmu*, ut futurum Kal ex verbo: דמו, repræsentet, quam temporis rationem antecedens futurum, יבשו, *Feboschu*, in eadem ejusdem versus connexionem positum, flagitare videtur; vel pro ידמו, *tiddammu*, dagefch ex מ ejecto, ut adeo sit futurum Niphal, à verbo: דמו, censente in Lexico Minore Cl. Buxtorfio; vel, pro: ידמו, *tiddommu*, in futuro Kal, ex eodem verbo, cum frequens sit, longam vocalē, quam augmentum antecedens in geminatis verbis alias requirit, per brevem sequente literā dagefātā compensari, hōlem verò, promotō accentu, in Sieva transire: constructio tamen aliud significatum, præterquam: *silendi, tacendi, cessandi, desistendi*, non admittit. Præterea cum præfixum illud, (ל) quod alias motum ad locum denotat, præsentī loco hanc vim sustinere non possit, cum absurda efficeretur versio: *silebunt in infernum*; necesse est, illud pro (ב) supponi, sensumque esse: *silebunt in inferno.* Opponitur verò hoc silentium inimicorum Christi לדברי רבים, *vituperationi multorum*, vers. 14. ולחריפת צוררים, & *opprobrio hostium*, vers. 12. id est, dolosis & perfidis machinationibus, tumultuoso fastui & loquacissimæ linguæ morfibus, quibus hostes Christi innocentem Servatorem, magno numero & ingenti petulantia conspurcarunt, eorumque pœna, quam calumniando fuerint promeriti, futura dicitur partim confusio illorum, quando æterno cum pudore putida mendacia sua in se resorpturi sunt, partim indictum universale maledicenti ori silentium, quando in inferno, si vel maximè vellent, blasphemare Christum & quibuslibet aliis peccatis lædere non poterunt. Ex quo ultrò sequitur: peccatum in damnatis prorsus cessaturum esse.

LXXXIX. Decimum & nonum argumentum exhibet Panicus timor & reverentia damnatorum, quæ ex incessante intuitu supremi judicis & Domini oritur, à quo tantis pœnis atque torto-



ribus addicuntur. Quam in rem Paulus, Philip. II. vers. 9. 10. 11. *διο και ὁ θεὸς αὐτὸν ὑπερέψωκε καὶ ἤγαγε αὐτὸς ὄνομα τὸ ὑπὲρ πάντων ὀνομάτων. ἵνα ἐν τῷ ὀνόματι Ἰησοῦ πάντων γένων κάμψῃ ἰσχυροῦν καὶ ἐπιβίον καὶ καταχθονίων. καὶ πάντα γλώσσαια ἑξομολογήσονται, ὅτι κύριος ὁ Ἰησοῦς Χριστὸς εἰς δόξαν τοῦ πατρὸς.* Propter quod & DEUS exaltavit illum & donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine JESU omne genu flectatur, caelestium, terrestrium & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia Dominus JESUS CHRISTUS in gloria est DEI Patris. Quemadmodum enim creaturae caelestes atque terrestres, sponte & voluntariâ obedientiâ, Christo olim subjicientur, neque peccatis ullis nomen ejus tremendum atque venerandum profanaturi sunt: ita ex contrario sequitur, creaturas infernales, daemonem atque homines damnatos, ad obsequium, *ἐκέντι ἀκούει θυμῶ*, rapiendos, cogendosque esse, ut genu suum Christo flectant, id est, reverenter ipsum adorent, nec quicquam vel faciant vel admittant, ex quo sacrosancto ejus nomini macula inuri, aut quidquam opprobrii ad ipsum redundare possit. Quæ enim & quanta esset illa *ἑξομολόγησις* & confessio honoris Christi & gloriae patris, si profcindere eundem blasphemias, contristare sceleribus, conculcare meritum ejus flagitiis, verbo; lædere peccatis, & id quidem perpetuè & sine ullâ intermissione permitteretur? Si verò Servatoris majestas & nominis tanti excellentia reprobos à criminibus haud retraheret, vix tamen fieri posset, quin vel à proposito peccandi, intuitu furoris & iræ & oculorum & manuum, vindictam ipsis indefesso nutu intendentium, reprimerentur. Quis enim in conspectu tanti judicis, tam potentis, tam præsentis, tam irati, ad peccatum, tamquam uberius incendiî certissimum fomitem, inclinare animum audebit? Sequitur ergo, peccare neque velle neque posse ullo modo damnatos.

LXXX. Ultimum denique & vicesimum argumentum summorum Theologorum auctoritas præstat, qui vel præsentem opinionem, ut S. Literis & fidei analogiæ conformem, defendunt, vel iis utuntur hypothesibus, ex quibus illa liquidissimâ consequentiâ promanat, vel denique eandem haud obscuro indicio produnt, dum de inferorum sceleribus nihil quicquam mentionis, ubi maximè poterant & debebant, injiciunt, de poenis eorum & passionibus, præviâ Scripturæ luce, tractasse contenti.

LXXXI.

LXXXI.  
que fundam  
bus posita, u  
quilibet poss  
LXX  
rem alius  
suam sententi  
protinus ad ju  
cibus, multos  
nare parietem  
me propugna  
ctum discursu  
dium, in plu  
rimus, judic  
triusque pa  
mus.

LXXX  
me atque tu  
riolo magis,  
plinam Theo  
tem, sese con  
feris quæ de  
inquunt, im  
stoli verbis u  
gant, sive oc  
tur divinâ vi  
ignem coqu  
ant damnat  
mii ad atere  
tuum pa llo  
efficit, ne is  
dam oppo  
cio abunda  
de hac qua  
nobis eripi  
mnetur, ju



LXXXI. Atque hæc hæctenus utriusque partis præsidia sunt atque fundamenta, in conspectum à nobis idèò genuinis coloribus posita, ut incorruptum in indagandâ veritate iudicium ferre quilibet possit.

LXXXII. Existimo verò, quisquis accurato ingenii studio rem altius consideraverit, non posse defugere, quin calculum suum sententiæ priori, quæ damnatos peccaturos esse affirmat, protinus adjiciat, adèò validis nititur præsiidiis, quibus corruentibus, multos necessariæ fidei nostræ articulos, in caducum inclinare parietem, & fundamentis destitui, quibus hæctenus fortissimè propugnati fuere, prorsus sum persuasus. Cum verò sub initium discursus nostri, hoc ipsum diversarum sententiarum dissidium, in plures scindi discordantium opinionum partes, monuerimus, iudicium nostrum de singulis, priusquam ad rationum utriusque partis examen descendamus, paulò amplius exponeamus.

LXXXIII. Et primò quidem videri possent, omnium optimè atque tutissimè facere illi, qui ab argumento hoc sterili & curioso magis, quam, quod utilitate quapiam sive in sanctam disciplinam Theologicam, sive quamcumque aliam eruditionis partem, sese committent, calamum abstinere, iudicium suspendunt, feriisque & utilioribus animi vires adhibent. Quid enim nostrâ, inquirunt, interest, scire, quid faciant ii, qui extra nos sunt, ut Apostoli verbis utar, ad scopum ipsorum paululum inflexis? Sive agant, sive ocientur; sive facinoribus dent operam, sive retrahantur divinâ vi à pessimis operibus; sive edant, sive bibant, sive ad ignem coquant, sive ob fumum oculos terant, lacrymasque eliciant damnati, quid ad nos, qui neque metu pœnæ, neque spe præmii ad æterna gaudia grassamur? Et si pœnam timemus, cruciatuum passio, quanta unquam verbis enunciari potest, atrocissima, efficiet, ne in hac vitâ agamus id, ob quod tam crudelia pati quondam oportebit. Sed verò, sicut nos quemlibet suo patimur iudicio abundare, neque cuiquam necessitatem imponimus, sensum de hac quæstione suam aperiendi: ita ne libertas nostra, quam nobis eripi aut in dubium vocari nefas est, inhumanius condemnatur, jure postulamus. Præterea, quicquid aquarum è fœ-



cundo S. Literarum fonte profluit, id est, omne id doctrinæ genus, quod illæ sive verbis expressis, sive virtute quadam & *divinæ* complectuntur, ejus momenti est, ut religio nobis esse debeat, curiosum & sterile vocare. Cum igitur infernalium actionum creberrimam injiciat mentionem sacratissima Apostolorum & Prophetarum Scriptura, cur id nobis considerare vitio vertetur, quod, ut ad informationem nostram, ob quam, Paulo teste, omnis Scriptura inspirata est, proponeret, haud indignum judicavit divinissimum in sanctis viris Numen? Insuper, quod de universâ infernalium civium pœnâ, id de præcipuâ ejus parte, quæ in malis actionibus consistit, verum est. *Μὴ φύγῃμεν τὴν τῆς κολάσεως μνήμην, ἵνα μὴ κολασθῶμεν*, ait Chrysostomus: *non fugiamus pœnæ memoriam, (pœna autem gravissima est, perpetuò peccare, nec tamen vel pœnitere posse, vel sese corrigere) ne in pœnam incidamus.* Prosper, lib. III. de vitâ contempl. c. XII. ex quo nonnulla in hanc quoque disputationem exscripsimus; *inferni*, ait, *tormenta*, (at tormentum Phalaridis tauro crudelius est, quotidianâ peccatorum conscientia excruciarî & quasi consumi) *libenter audire vel legere, jugiter ante oculos mentis adducere, futura credere, sine ullâ perturbatione metuere, cogitare, quale malum sit, ab illo gaudio divina contemplationis excludi, hæc, inquam, cogitare, nihil est aliud, quam vitii omnibus repudium mittere & omnia blandimenta carnalia refrenare.* Quamquam verò boni virtutis potius amore benè agere didicerint, quam formidine pœnæ, mali tamen pœnarum quoque minis à malitiâ sæpè revocantur, ut benè laudabiliterq; agere incipiant. Quare Hugo, libr. III. de Anim. *Si amor DEI, inquit, tenere non potest, saltem teneat & terreat timor judicis, metus gehennæ, laquei mortis, dolores inferni, ignis urens, vermis cor rodens, sulphur sætens, flamma tartaræ & omnia mala.* At verò quo efficacior omnis actio est passione, hoc majori quoq; vi pollebit id in inferno actionis genus, quod passioni indivulso nexu conjunctum esse docemus. *Omnia supplicia*, ait primo officiorum Ambrosius, *graviorum suppliciorum vincuntur formidine.* Denique in progressu disputationis nostræ, quod jam haud semel diximus, quanta fidei capita, ne de illustribus & ubique paginarum in codice sacro occurrentibus loquendi modis quidquam dicamus, his, si ita vocare libet, curiosis & inanibus quæstionibus, veluti fundamenta substernantur,

tur,



tur, quibus è sede suâ motis, ipsum subruî Theologicum Systema  
necesse est, luculenter, ut spero, apparebit.

LXXXIV. Jam quod secundo eorum concernit sententiam,  
qui habituale quidem peccatum, & pravam voluntatem in da-  
mnatis fore concedunt, sed illam tamen, quasi posito obice, repri-  
mi ajunt, quo minus in ullum actuale vitium, utpote blasphemiam  
oris aut cogitationem etiam cordis, prodire possit; ea certe  
tolerabilior est cæteris opinionibus, quæ vel ex peccato, etiam gra-  
vissimo, rem faciunt omninò indifferentem, vel, ne forte peccare  
possint damnati, omni actione eos exuunt, & in nescio quas crea-  
turas inanimatas & sensu carentes transformant. Non diffite-  
mur tamen, eandem nihilo minus probari nobis nequaquam posse,  
idque potissimum propter duas causas. Nam primò pleraque  
omnia argumenta, quæ pro affirmante à nobis adducta sunt, pro  
actualibus, non pro habitualibus tantum, peccatis concludunt,  
sicut passim à nobis supra indigitatum fuit, & paulò post in exami-  
ne eorundem uberiori, latius ostendetur. Deinde præsens sen-  
tentia, quâ docetur, peccatum quidem habere damnatos, sed co-  
ercitum, aut absurdam illam hypothefin supponit, ac si damnati  
nihil prorsus acturi & æternum quasi inter atrocissima tormenta  
in peccato habituali otium celebraturi sint, quod, quam à S. Lite-  
rarum auctoritate & ratione omni alienum sit, suo loco, juvante  
DEO, demonstrabitur: aut falsum & *quod aliud*, quasi, si vel  
maximè agerent aliquid damnati & intellectu pariter atque vo-  
luntate negotiarentur, actiones tamen istæ, vel quia legem non  
habeant damnati, vel quia sine voluntariâ *negatiua* necessitate ad  
agendum impellantur, humanæ atque morales non essent, sed in  
censum atque æstimationem venirent earum actionum, quæ à feris  
bestiis & rabidis atque insanientibus animalibus committuntur;  
cujus rei falsitas §. XLIII. ob oculos posita est & in expositione hu-  
jus paragraphi amplius ponetur. Quomodo enim fieri potest, ut  
agant aliquid damnati & nunquam tamen *in bonis* agant? aut si mo-  
raliter agant, ut neque benè neque malè agant? At verò nihil ho-  
rum, rem exactè expendenti, persuaderi potest. Relinquitur er-  
go, ut non habituale tantum & otiosum peccatum, (etsi & otio-  
sum peccatum esse nunquam possit) quasi in sinu suo gerant & fo-



veant damnati, sed ut actualibus etiam vitiis, tanquam pessimæ matris genuinis & improbis filiis, infernalem vitam commaculent atque traducant.

LXXXV. Ex quibus hoc simul tertio apparet, vero longè ab-  
similiorem esse eam sententiam, quæ & habitu mero atque volun-  
tate peccare damnatos inficiatur. Præterquam enim, quod ei-  
dem singula à nobis recensita argumenta efficacius etiam, quam  
priori, opponantur, ne quidem specie ullâ aliâ probabilis reddi  
potest, præterquam eâ, quod nullis legibus infernale regnum sub-  
jiciatur, sed damnatis privilegium quoddam universale compe-  
tat, impunè & licenter quidlibet patrandi. Et insuper pleraque  
argumenta, quæ contra damnatorum peccata militare videntur,  
actuale duntaxat peccatum è medio tollunt, habituale verò illæ-  
sum relinquunt. Sicut de his singulis suo loco rectius mone-  
bitur.

LXXXVI. Intolerabilis autem est quartò eorum sententia,  
vel sententiæ verius monstrum atque portentum, quæ damnatis  
horrenda quævis scelera & flagitia adscribit & tamen hæc tanta  
crimina veri nominis peccata esse negat. Quam enim indignum  
est, non dicam, homine, sed Christiano homine, ex virtutibus vi-  
tia, ex vitiis virtutes facere, aut certè utrumque actionum genus  
in ordinem redigere rerum, ex se & naturâ suâ prorsus mediarum,  
id est, tenebras in lucem & lucem in tenebras, atque adedò homi-  
nem in bestiam & bestiam in hominem convertere? Quid enim  
secundum hanc opinionem homo damnatus est, nisi animal ma-  
litiæ & bonitatis moralis expers, hoc est, brutum? Præterea quam  
horrendum est, posse creaturam & creatorem & patrem & conser-  
vatores & redemptorem & salvatorem & sanctificatorem suum,  
qui infinitis & innumerabilibus eandem sibi beneficiis devinxit,  
licite & impunè omni contumeliarum & maledictionum genere  
non lædere, sed lacerare; posse verò DEUM justissimum hæc  
tanta creaturæ suæ in ipsum jacta opprobria non pati tantum, sed  
approbare & amare? Quicquid enim peccatum non est, & est ta-  
men, id DEUM non velle & approbare & amare, cum voluntate  
polleat, cujus essentia in appetitu boni & aversatione mali, & li-  
berâ specierum utriusque electione consistit, tam impossibile est,  
quam



quam fieri non potest, ut aliquid sit, & tamen à DEO, qui intellectu gaudet, non cognoscatur. Ducit verò immane hoc & foedissimum prodigium originem ex matre haud minus turpi: nihil in se bonum esse aut malum; malitiam omnem atque bonitatem ex voluntate DEI, tanquam normâ radicali, dijudicari; de voluntate DEI non nisi ex lege scriptâ constare; legis verò cuiuslibet obligationem præsentis vitæ pomœria non excedere. Hæc ostenta illa sunt, ex quibus tales enascuntur filia! Quâ verò de re occasione sexti & decimi argumenti contrarii amplius à nobis agetur. Hoc duntaxat adjicio, Robertum Parkerum, hominem Reformatum, cum vi absoluti, & res omnes causaliter antecedentis, decreti, non posset, nisi à voluntate DEI, tanquam mensurâ, conceptu nostro primâ atque ultimâ, bonum malumque derivare, maluisse tamen ex aliâ, nescio unde arreptâ, causâ, passionibus scilicet infernalibus, tanta scelera è manibus quasi damnatorum extorquere, quam eadem, quod conscientia ipsam horror prohibuit, illis vindicare, & peccata tamen esse, diffiteri. Quamquam stante illâ hypothese maleficia quælibet à damnatis patrata, quantumlibet nefaria & scelerata, veri tamen generis peccata esse nequeunt. Tantum nempe potest conscientia stimulus, à naturâ nobis inditus, quem suppressere quidem malitiosè licet, nunquam exuere; nam

*Naturam expellas furcâ, tamen usque recurrit.*

LXXXVII. Remanet ergo, rejectis his opinionibus, seu falsis, quinta eaque vera sententia: peccaturos utique in inferno actualiter damnatos & DEUM blasphematuros: peccatum etiam hoc verum fore proprièque dictum peccatum.

LXXXVIII. Hanc thesin viginti illa argumenta, quæ in paragraphos à XLI. ad LXI. conjecta & à plerisque, quæ oboriri circa illa poterant, dubiis, ut prolixiori labore hoc loco superfedere possemus, vindicata sunt, validissimè probant. Nunc verò, ne quidquam desiderari possit, breviorè contra alias quascunque exceptiones defensionem adjiciemus.

LXXXIX. Fatemur autem, quoad argumentum I. locum Psalmi LXXIV. 23. qui in hebræo ita legitur: אל תשכח קול צריך שאון קמך עוליה תמיד,

P

tis



ris non agere, quo quidem sensu à Scholasticis Doctoribus, no-  
tante Gregorio de Valentiâ, passim allegatur. Indubium enim  
est ex toto contextu, de inimicis Davidis & de hostibus DEI in  
præsenti vitâ, sermonem institui, precesque Davidis eò unice col-  
limare, ne illi perpetuò sive Davidi superbè insultent, sive DEUM  
Iudibrio afficiant. Quare Augustinus, Tom. IIX. p. 815, etsi pri-  
mum versus hemistichium aliter legat: *Ne obliviscaris voces depre-  
cantium te*; alterum nihilominus ita interpretatur: *Superbia eorum,  
qui te oderunt, ascendit semper ad te; noli & eorum superbiam oblivisci.*  
*Nec obliviscitur; omnino autem punit, aut corrigit: q. d. ideo superbia  
inimicorum tuorum ad te, [quod in locutione ידוּרְתִיךָ supplen-  
dum est juxta Augustinum: ידוּרְתִיךָ, R. D.K.] semper adscendit & in  
conspectum tuum venit, sicut peccatum Caini, Gen. IV. 10. & Sodo-  
mitarum, Gen. XIX. 13. & merces detenta laborum, Jac. V. 4. ad DEUM  
adscendit, inque auribus ejus clamorem excitat, ut in vindictam  
te armet & pœnam provocet, ne forte tuorum obliviscaris. Quam-  
quam verò alii vocem: עָרִירָה, per *augeri*, incrementa fumere &  
crescere reddendam esse existiment, quo pacto & Lutherus, suf-  
fragante Vatablo & Tremellio, convertit: *Das Toben deiner Wi-  
derwertigen wird je länger je größer* / in sensu tamen exigua redditur  
differentia, quem ita pulchrè Brentius, Tom. III. p. 858. repræsenta-  
tat: *Inculcat DEO, tanquam immemori & oblivioso, ut si noluerit rationem  
habere nostri nominis, habeat saltem rationem sui ipsius nominis & fama.*  
(Expressit illa R. Dav. Kimchij, h. I. עָרִירָה כְּעֹבְרֵי כִי רִיבְנוּ רִיבְךָ הָיָה  
עָרִירָה כְּעֹבְרֵי כִי רִיבְנוּ רִיבְךָ הָיָה) *Ne obliviscaris, inquit, vocis in-  
imicorum tuorum. Qui in nos seviunt, non sunt proprie nostri, sed TUI ini-  
mici. Vociferantur in nos & vexant nos omnibus contumeliis. Sed hæc vo-  
ciferationes & vexationes magis ad TE, quam ad nos pertinent. Fremunt  
adversus nos & insultant in miseras nostras, sed id TUO potius nomini, quam  
nostro deputatur. Ac tanta est insolentia, ut furor eorum profusus nihil remit-  
tat, sed indies ingravescat. Quare si nos in his arumnis deserueris, te ipsum  
deseruisse & TUO nomini defuisse vi deberis. Nihilominus tamen, cum  
in his simul verbis indoles inimicorum & natura inimicitiae ex-  
primatur, quæ in actuali odio & persecutione objecti sui consistit,  
facile patet, quod ex præsentis loco rectè ita concludatur: Quicun-  
que est DEI inimicus, is DEUM odio habet, eundemque, quâ pot-  
est,**

est affectu  
exp  
vidicum  
grus, de  
ter in  
hinc de  
tingere, ut  
ciam ex  
ditionis re  
DEUM  
genere nos  
proloquar  
amabile vi  
gas, non e  
Et nunqu  
igni de  
ai, in qu  
v. 41? Sec  
tere. O  
perz nullu  
celle hab  
um virtu  
tuta lex pen  
DEI facun  
stroctâ, ni  
damnati D  
minum co  
XC.  
Johanne  
ipian p  
vras d  
quæ pri  
que alia  
tamen on  
quem ean  
zabolâ qu



est, affectu, linguâ, opere, persequitur: hæc enim vocibus:  $\text{רָרָ} \& \text{דִּיב}$ , exprimuntur. At damnati. Ergo. Majorem partim Davidicum testimonium, partim primus inimici cujuslibet conceptus, de quo ne ambigi quidem potest, confirmat. Minor pariter indubitata est. Cum enim damnati in actuali DEI inimicitia hinc decesserint, quis asseret, hanc illis post obitum gratiam obtingere, ut priusquam in damnationis locum deferantur, inimicitiam exuant, & cum pejorem statum meruerint, melioris conditionis reddantur? Aut quomodo fieri potest, ut quis sentiat in se DEUM atrocissimum delictorum judicem, omni flagellorum genere nos perpetuò verberantem, & eundem tamen vel amore prosequatur, vel, si inter amorem atque odium adversus objectum amabile vel odibile, ut scholasticè loquar, medium quid esse fingas, non oderis illum & inimicum erga eum exerceas affectum? Et nunquid hostilem arguit animum, cum Servator hircos æterno igni destinatos hunc in modum alloquetur: *Recedite à me, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis ejus.* Matth. XXV. v. 41? Sed verò non opus est, in re clarissimâ probationes conquerere. Odium autem DEI peccatum esse, qui negat, is eadem opera nullum in rerum universitate peccatum esse, asseverare necesse habet. Sicut enim amor DEI fons est & principium omnium virtutum, quippe qui est *impletio legis.* Rom. XIII. 10. & à quo *tota lex pendet.* Matth. XXII. 40. Ita vi contrariorum, odium DEI fœcunda scaturigo & causa est omnium vitiorum, quâ obstructâ, nihil pravi, nihil vitiosi uspiam esse potest. Cum verò damnati DEUM intensissimo odio prosequantur, gravissimè omnium eos peccare necesse erit.

XC. Par ferè ratio est, quoad secundum argumentum, dicti Johanniæ, Apoc. XVI. 9. *Καὶ ἕκαστος τῶν θανάτων οἱ ἄνθρωποι καὶ μα μὴ α, καὶ ἐθλασθήσονται τὸ ὄνομα Ἐϋϋ. Ἐχόντων ἑξοστάνει τὰς πλῆγας τὰντας, καὶ ἡ μυστήρησαν δ' ὄνομα αὐτῆ δ' ὄξαν.* Quamquam enim, cui temporis aptanda sit, quæ præsentis loco recensetur, plaga, inter Interpretes, sicuti pleraque alia Apocalypseos hujus fata, non indubitato constet, dubio tamen omni caret, ad hujus ævi, non futuri seculi, articulum aliquem eandem pertinere, & ad statum infernalem, non nisi in parabolâ quadam & typo adplicari. Augustini a stri illius, qui sub



Augustinò hoc nomine homilias in Apocalypsin scripsit, Augustini nomine prorsus indigni, exigua auctoritas est, de quo Erasmius in censurâ: *Videntur annotatiuncula à studioso quopiam collecta, quas aliquis vertit in homilias, assutis in initio ac sine verbis aliquot frigidis. In medio nulla concionis appellatio. Quare rectius & eruditius Gregorius Magnus, lib. XXXIII. Expos. Mor. c. XII. p. 1180. Rursum, ait, solis nomine sapientium intellectus exprimitur, sicut in Apocalypsi scriptum est: quartus angelus effudit phialam suam in solem, & datum est illi, aestu afficere homines & igni. Phialam videlicet in solem effundere, est persecutionis supplicia viris sapientiæ splendore fulgentibus irrogare. Et datum est illi, ut afficeret homines aestu & igni: quia, dum sapientes viri cruciatibus victi male agendi errore tanguntur, illorum exemplo persuasi infirmi, quique temporalibus desideriis, inardescunt. Ruine namque fortium augmenta præstant perditionibus infirmorum. Quæ tamen ita se habeant, ea tamen in hoc versu prædicatorum est connexio, ut trahi facili operâ & meliori jure ad statum possit infernalem. Dicuntur enim homines adusti esse magno aestu, hoc est, gravissimis severissimisque sive animi cruciatibus sive corporis suppliciis addicti & pressi à DEO, adeò ut impatientia, ex atroci hoc aestu exorta, blasphemiam illis divini nominis, quod neque modum facere neque finem vellent puniendi, cum posset, extorqueret. Magnorum igitur suppliciorum effectus est, impatientia, impatientiæ odium, odii blasphemia adversus inferentem, quæ singula concatenato se nexu ambiunt. Atque ita exaudiunt hanc consecutionem, quotquot è nostris de Anti-Christianis persecutionibus, quæ communior est opinio, hunc locum exposuerunt. Matthias Flacius, Illyricus, in Glosâ compendiariâ Novi Test. ad h. l. *Quarti angeli plage descriptio de aestu solis ac siccitate videtur sumpta esse ex illâ miraculosâ afflictione Baalitarum, quæ tempore Eliæ accidit. Exponitur autem à multis de violatione doctrinæ de justificatione per Christum; ex quo, cum vivificum calorem homines haurire deberent, dum cum Anti-Christo cum suâ turbâ convertit in austerissimum ac immitem judicem erga peccatores, sibi met horrendos conscientia cruciatus, ipsissimamque desperationem aeternæ salutis accersiverunt. Unde etiam multi eorum ad horribiles blasphemias cum Judâ & Caino proruperunt. Sicut etiam hoc tempore multi Papiста, iique insignes, in desperatione, tristissimisque conscientia crucibus ac blasphemis perierunt, cu-**

jus-



hujusmodi est etiam exemplum desperationis Hoffmeisteri, Latomi, Francisci Spie-  
 re & multorum aliorum celebrium hostium Christi. D. Lucas Oliander,  
 Sacrorum Bibliorum, Part. III. in h. l. Hic estus significat tormenta  
 conscientia, quae post revelatum Evangelium in eorum conscientia oriuntur,  
 qui veritatem agnitam, propter hujus mundi opes ac dignitates, abnegant &  
 blasphemant. Horum multi desperantes, cum blasphemis ex hoc mundo di-  
 scedunt. Neque poenitentiam agunt, neque veniam à DEO petunt. D. Jo-  
 han. Winkelmannus, Commentario in Apocalypsin, h. l. Et  
 quartus angelus. Indicatur sine dubio hic sensus irae Divinae, quae instar  
 ignis est consumentis stipulas, & conscientiae cruciatus, quovis igne ardentior.  
 Ejusmodi enim astum sequi necesse est, ubi Christus sol justitiae obscuratur,  
 quemadmodum doctrina de justificatione affert pacem & tranquillitatem con-  
 scientiae, Rom. 5. Et astuaverunt. Quemadmodum nitrum affuso ace-  
 to magis accenditur & astuat: ita etiam homines isti ex verbo DEI reprehensi  
 magis effervescent, blasphemantes sanam doctrinam, neque agunt poeniten-  
 tiam, ut abjectis erroribus justa DEI judicia agnoscant ac praedicent. Jam  
 verò cum in inferno, καὶ μὲν animi corporisque sine comparatione  
 majus sit & vehementius, quo damnati ἐν τῇ φλογὶ καὶ βασάνοις, affli-  
 guntur à DEO, severissimo Judice utpote ἐχόντι ἰξουσίαν ἐπὶ τὰς πληγὰς  
 πάντας, neq; praeterea ulla apud eos esse possit μετάνοια, δὲ ἵνα τὰ θεῶν δέξαι  
 quid aliud sequitur, quam summam fore apud ipsos impatien-  
 tiam & effusurum se in omnis generis blasphemias & maledictio-  
 nes odium? Haec verò talia peccata esse, nemo ignorat.

XCI. Argumentum tertium huic potest syllogismo includi:  
 Quaecunque natura rationalis extra ordinem legum naturalium  
 & Divinarum movetur, ea peccat. At damnatorum natura ra-  
 tionalis. Ergo. Major probatur; quia peccatum nihil aliud  
 est, quam ἀνομία, I. Joh. III. 4. id est, motus extra ordinem à lege  
 praescriptum. Minor extra controversiam est; nam neque Deum  
 amat damnatus, neque eundem colit, neque proximo charitatis  
 debita officia exhibet: & è contrario DEUM odio, proximum  
 invidia prosequitur, sicut passim in argumentis affirmantem pro-  
 bantibus demonstratum est. Neque vim hujus argumenti, quod  
 merito palmarium vocavimus, Albertus elidit, cum excipit:  
 Ad primum dicendum, quod inordinatus actus quandoque est ut poena, quando-  
 que ut culpa. In liberà enim voluntate est ut culpa, in obstinatà autem ex con-



damnatione justitiæ est ut poena. Et sic est in damnatis. Quâ exceptione major præcedentis syllogismi, per distinctionem motus liberi & ad unum obstinatè determinati, hunc in modum limitatur: Quæcunque natura rationalis extra ordinem legum naturalium liberè movetur, ea peccat; conceditur: quæ verò ex condemnatione justitiæ, obstinatâ voluntate, necessariò movetur, ea peccat; negatur. Ut enim aliquis peccare dicatur, requiritur, ut libero motu in actionem, quæ peccatum dicitur, feratur. Naturales quippe inclinationes, quæ vitari nequeunt, & impetu quodam in rem desideratam tendunt, & obstinatio voluntatis, quæ in peccatum non potest non propendere, ex vi sententiæ condemnatoriæ, quæ hanc immutabilem necessitatem imposuit, quæque, quoad rationem invariabilitatis, τῆ ἀνάγκη, quæ est ἐν τῆς φύσεως, prorsus æquiparatur; tam peccatis adnumerari nequeunt, quam à vitii naturâ abest omnis bestiarum actio, quæ tamen à lege deviet, quia tamen libera non est, sed è naturali necessitate promanat, peccati moralis, propriè dicti, argui non potest. Cum igitur ad deflecentes à lege motus damnatorum natura à vindicante justitiâ ita determinatur, ut ademptis libertatis viribus non possit nisi contra legem agere, hæc actio secundum Albertum culpæ aut peccati nomen non meretur, sed supplicii duntaxat. Homo enim damnatus, qui ante damnationem beneficio gaudebat, liberè bonum malumque eligendi, post latam damnationis sententiam hoc beneficio privatur, inque statum hætenus brutis animalibus bestiisque similem, quibus cum lege, cum virtute, cum vitio nihil est commercii, poenæ loco deponitur, id est, purorum, ut vocant, naturalium, adeo ut pars rationis inferior, seu appetitus animalis in bonum jucundum & caducum inordinatè propendens contra superiore meliora imperantem, id est, judicium mentis, honesta jucundis meteferenda suadentis perpetuò rebellet, & subtrahita sit superiori potentiæ, quo minus inferiori satis efficaciter resistere, eandemque refrænare possit, sublimior imaginis Divinæ virtus. Quâ absente, omnia naturalia sunt & necessaria, nihilque sive virtutis sive peccati nomen naturamque participare potest. Quibus explicationis gratiâ præmissis, hoc fit argumentum: Nullus motus hominis naturalis, necessarius, seu, ut clarius



loquar, ex internâ & essentiali ipsius naturæ humanæ conditione  
 proveniens, est peccatum. At motus hominis damnati omnes.  
 Ergo. Major patet, quia lex, à quâ peccatum recedit, fertur non  
 naturaliter & necessariò, sed liberè agentibus, & illis, qui viribus  
 instructi sunt, faciendi id, quod lege jubetur. Aristoteles II I.  
 Eth. Nic. V. *Stultum est, præcepta dare ei, cui liberum non est, quod præ-*  
*cipitur, facere, & iniquum est, eum damnare, cui non fuit potestas, jussa com-*  
*plere.* Augustinus III. de Lib. Arb. c. I. *Nulla culpa inveniri potest,*  
*ubi necessitas est.* Damascenus, lib. II. O. F. c. VII. *Quod ex neces-*  
*sitate fit, neque virtus neque vitium est.* Minor patet, quia motus homi-  
 nis damnati sunt hominis, in meris, purisque naturalibus consti-  
 tuti, qui, quicquid agit, ex inclinationibus naturaliter sibi insitis  
 & concreatis agit; probaturque hoc, quia vires liberè bonum eligendi  
 & naturalem appetitum vincendi, hoc est, imago Divina,  
 tanquam frænum luxurianti <sup>τῆ φύσει</sup> & ferociter exorbitanti ap-  
 petitui, supra naturam ex merâ gratiâ, impositum, ex justitiæ Di-  
 vinæ lege & condemnationis sententiâ, in vicem supplicii sub-  
 tractæ sunt homini damnato, isque in statum, in quo præter ap-  
 petitum & rationem nihil quicquam sive honestatis sive turpitu-  
 dinis possidet, è contra adversus ordinem à DEO constitutum ex  
 conditione ipsius substantiæ, rebellionem naturalem inter partem  
 hominis inferiorem & superiorem complectentis, ob præsentiam  
 objecti injucundi, necessariò movetur, delatus. Atque id ipsum  
 quoque est, quod Lombardus dixit: *Malam voluntatem in damnatis,*  
 id est, appetitum rationi ob illata mala & injucunda reluctantem,  
 inque odium DEI atque blasphemiam ejus tanquam objectum  
<sup>φαινομένης</sup> melius & jucundius, prorumpentem, non esse peccatum sed  
 supplicium tantum. Chrysoftomus, Comment. in Tit. I. *Non sunt*  
*peccata naturalia, sed malitia præter & contra naturam est.* Simon Epi-  
 scopius, in Examine sententiæ Cameronis, de gratiâ & libero ar-  
 bitrio, c. V. indubitatum hoc esse ait: *Naturalia & necessaria pecca-*  
*ta esse non posse, nedum peccata pœnâ digna.* Ad hæc talia à Pontificiis,  
 aliisque magnâ cum specie efficta somnia, respondemus, I. <sup>κατ' ἀν-</sup>  
<sup>θρώπου</sup> & ad hominem; majorem neque Pontificiis omninò veram  
 esse. Nam & hodie pars hominis inferior frequentissimè in lu-  
 ctâ superiorem vincit, ex internâ & essentiali materiæ conditio-  
 ne,



ne, quæ haud alia hodie, amissâ imagine Divinâ, est, quam futura fuisset olim, si in puris merisque naturalibus extitisset: & tamen hæc victoria in Rom. Ecclesiâ peccatum est. Benedictus Pererius, lib. V. in Gen. de quart. excell. q. IV. *Profectò hac rebellio partis inferioris adversus superiorem, quæ excitat in membris & in appetitu indecentes & inordinatos motus, præter iudicium & voluntatem partis superioris, qualis est (hodie) in nobis, talis omnino eset in homine, si in puris naturalibus crearetur.* Neque excipi potest, rebellionem istam, qualis hodie in nobis est, injectum esse frænum inchoatæ imaginis DEI, per quam vires obsistendi inordinatis motibus acceperit pars superior, ut ex hoc culpabilis reddatur ejusdem devictio & obsequium, cum vincere inferiorem potuerit, eandemque suppressere. Nam & homo damnatus ante damnationem vires habuerat compescendi motiones inordinatas, & cum amisit, suâ culpâ amisit, privationemque imaginis Divinæ malitiosè sibi contraxit. Quæ ratio est, cur subsequenti ex condemnatione actui eadem culpa jure imputetur, sicut adulter est, non tantum, qui ex inordinato affectu sobrius cum uxore alienâ concumbit, sed & qui ex ebrietate impotentiam continendi affectus sibi contraxit, ut naturali prurigne citra voluntariam electionem, objecto potentiam extimulante, in adulterium rueret. In quo confictus hic status immensum à statu naturalium, ante gratiosam imaginis Divinæ enlargementem, considerato, differt: Hic enim vires carnem in ordinem redigendi neque acceperat, neque, nisi ex gratiâ supernaturali, accipere poterat, adeoque neque culpabiliter beneficio virium abusus fuerat, neque easdem malitiosè decoxerat: ergo nec ullo jure peccatum ullum, suppositâ veritate hujus status, ei poterat adscribi. Respondemus II. κατ' ἀλλοθειας, negando majorem, de naturâ post lapsum, ad quam instantia est peccatum originale: Nullus motus hominis naturalis & necessarius est peccatum. At peccatum originis. Ergo. Nempe peccatum originis est motus hominis inordinatus, à naturâ; quia omne figmentum cordis humani tantum malum est à pueritiâ. Gen. VI. 5. *Et sicut per unum hominem peccatum intravit in mundum & per peccatum mors: sic in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Rom. V. 12. Quare & reatus hujus peccati, quo ad pœnam constringimur, seu, quod idem



idem est, filii iræ reddimur, naturalis est; *ἡμῶν γὰρ τίτινα φέρει ἰσχυρῶς*  
 Eph. II. 3. Quinimò necessarius est hic motus, quem, utcumque  
 velimus, è medio tollere & supprimere non possumus: *Sumus enim*  
*carnales & venundati sub peccatum.* Rom. VII. 14. *Video legem in membris*  
*meis, contrariam legi mentis meæ & captivantem me sub legem peccati, quæ*  
*est in membris meis.* Rom. VII. 23. Et tamen motus hic est pecca-  
 tum; quia est contra legem: *non concupisces.* Exod. XX. 17. 18.  
 Rom. VII. 7. & quia in iniquitate conceptus est. Psal. LI. 7. à quâ ori-  
 ginem habuit; & denique, quia ad peccatum inclinatur & seducitur:  
*bona autem arbor non potest malos fructus ferre.* Matth. VII. 18. Falsum  
 ergo est, nullum motum hominis naturalem & necessarium esse  
 peccatum; quippe quod Sim. Episcopus, probandæ duntaxat  
 Arminianæ hypothefi: non dari peccatum originale, refragante  
 sanctiore Scripturâ, falsò indubitatum appellat; neque Chryso-  
 stomus, peccata naturalia esse, aliter negat, quam quo sensu Resp.  
 tertiâ ipsimet inficiabimur, ut verum interea sit illud Augustini,  
 Hypogn. IV. *Nos libidinem non naturale bonum, sed naturale esse ma-*  
*lum dicimus, credimusque. Naturale autem malum sic dicimus, non quia*  
*fit natura, DEO opifice, congenitum, sed quod à peccante natura transferit in*  
*peccatricem naturam, id est, quod fit natura peccatricis vitium, non ipsa na-*  
*tura.* Respondemus, III. si major propositio de motu essentialiter  
 naturali & ex concreatâ naturæ conditione necessario loquatur,  
 negando minorem, quæ hæc est: at motus damnati hominis om-  
 nes, recisâ imaginè Divinâ, sunt ei essentialiter naturales & ex  
 concreatâ naturæ conditione necessarii. Falsum enim hoc est de  
 motibus inordinatis, qui statui damnatorum naturales futuri  
 sunt, non, in quantum naturale idem est ac concreatum & na-  
 turæ cum primâ origine inditum, sed quâ naturale est altè fixum  
 & in naturam ex consuetudine & poenâ conversum; & necessa-  
 rii, non, quia ex concreatâ naturæ conditione aliter se habere non  
 possunt, sed quia immutabilitatem hanc libera voluntatis malitia  
 sibi accersiverunt. Quæ causâ quoque est, cur perinde peccami-  
 nosi & culpabiles sint hi motus, ac illi, qui ex formali voluntatis  
 arbitrio eliciuntur. Cæterum IV. status iste purorum & mero-  
 rum naturalium, etiam in quantum per meram præcisionem in-  
 tellectus concipitur, purum & merum figmentum est, ex Mani-  
 chæo.

Q

chæo.



chædrum secta, duo hominis contraria principia propugnante, ducens originem, nulli fundamento subnixum & sanctitati insuper DEI prorsus adversum. Nam 1. ex S. Literarum monumentis edocemur, nihil in homine primo obliquum, nihil malum, omnia recta bonaque fuisse, Gen. I. 31. *Et viderat DEUS, omne, quod fecerat, & ecce, erat valde bonum.* Quod, quemadmodum creaturis, intellectu carentibus, omnem eam bonitatem, quæ naturæ conditionique earum competere potest, ipsâ vocis generalitate, attribuit: ita in specie homini, cuius præterea creationi immediatè subjicitur, moralem quoque bonitatem, cuius ipse capax est, ex eadem ratione admittitur. Quare Salomo *rectum creatum esse à Deo hominem*, ex his verbis profitetur. Eccl. VII. 30. Ex quo Socinus ipse apud D. Meisner. *Confid. Theol. Photin. p. 675.* colligit, *quod labe nullâ Adamus fuerit infectus.* At verò status purorum naturalium partim infert, potuisse saltem DEUM actu non rectum, non bonum, sed obliquum moraliter, malumque & à lege deviantem creare hominem, quod impium dictum est & causalitatem peccati in DEUM, saltem possibilem, refundit: partim reapse ponit, hominem primum, cum habituali peccati & rebellionis labe, etsi per imaginem supernaturaliter coërcitâ, creatum esse; quod tamen loci adducti *διεσφόνθη* negant. Bonitas enim & rectitudo moralis sicut ipsarum virtutum non actus tantum sed & habitus requirit: ita vitiorum, exempli causâ, rebellionis & concupiscentiæ, non actus tantum prohibet sed & habitum. Cum enim habitus actus sit causa, absurdum est, effectum peccatum esse & prohiberi, non prohibito habitu. Quâ de re accurato studio ad hunc locum egit, incomparabilis Exegeta, D. Sebast. Schmidius, Theologus Argentoratensis, *Tract. de Imag. Div. c. IX. p. 136. seqq. 2.* Deinde ab eadem Divinâ revelatione credere jubemur, *ἐπιθυμίαν τῆς σαρκὸς, concupiscentiam carnis*, non esse à DEO, sed à mundo. I. Joh. II. 16. Est autem cupiditas carnis, omnis ea inordinata concupiscentia, quæ contra rationem, sive naturaliter insitam & honesta jubentem, sive insuper divinis mysteriis ex superiori lumine illustratam & ad patranda spiritualia opera aptam redditam, luctatur, ejusque dominium præfractè excutere nititur. Hanc enim significationem & generalis vocis hujus usus & scriptoris intentio extra ullum du-



dubium requirunt. At contumax in statu merorum naturalium appetitus, est quædam *ἰσχυρὰ τῆς σαρκὸς*, ab animâ honesta suadente, se avertere gestiens. Ergo non est à DEO, sive creante, sive quacunquæ aliâ ratione agente. Neque verò Apostolus vel de desiderio carnis tantum actuali loqui potest, cum absurdum sit, fructum vocare malum, ubi arbor est bona, & effectum alterius naturæ statuere à causâ, in ipsius esse influente; neque de desiderio vi divinâ vel refrenato, vel, ut barbarè loquar, refrenabili: apertè enim falsum est, id desiderium secundum ipsos non esse à Deo, cum sit homini in ipsâ creatione implantatum, neque per imaginem Divinam ablatum, sed duntaxat repressum. Sicut autem latens sub cinere ignis ignis indolem non amittit, sed robur: ita latitans sub imperio imaginis peccatum. 3. Porro nullum peccatum seu vitium ita naturale esse potest, ut ex natura instituta primò ducat originem. Agnoscunt hanc assertionem, quotquot considerant, si peccatum naturæ creatæ, ut tali, primò inest, inesse quoq; naturæ creatori, cum quicquid est causa causæ, id etiam sit causa causati, neque verò sine suspitione Manichæismi peccatum in materiam, quæ & ipsa à Deo est, resolvi possit. At Deum peccati causam dicere, blasphemum est. Præterea peccatum defectus est & in formali privatio, quæ est absentia ejus, quod poterat & debebat adesse. At impossibile est, naturam ipsam amare defectum, eundemque in se producere. Natura enim id, quod perfectum est, perpetuò intendit & si quid à perfectione deficit, id extra naturæ intentionem est: at verò implicat in adjecto, DEUM intendere naturam rationalem perfectam, sine labe, sine defectu, utque finem suum consequatur, ex absolutâ potentiâ, cui nihil resistere potest, agere, & tamen sine suo destitui. Quæ ad eò vera sunt, ut & gentiles agnoscant & ipsimet hac in parte nobis adversarii: qui vim argumenti sentientes, concupiscentiam in statu puræ naturæ, eò quod lege, & consensu quoque atque voluntate, careat, peccatum esse, (absurdum nempe, cum effugere non possint, absurdo cumulantibus) inficiantur, ceu verba eorum §. XLIII. allegavimus. Sed verò primò, quæso te, unde probabitur, naturam, si in statu puro Deus eandem reliquisset, nulla lege obligatam fuisse? Non enim status aliquis sine ulla urgente ratione excogitandus est, &, ut



eundem tueri queas, paradoxa alia comminiscenda sunt, isq; status lege exuendus est, sed utrumque firmis argumentis ostendendum. Quidni enim alias eodem jure Valentinus aliquis & Basilides triginta Æonas confingere, & ut tueri portentum queat, quatuor syzygias seu dyadas, conjugio inter se congregientes, & nunc octoadem, nunc decadem, nunc dodecadem Æonum generantes, ex quo numero triginta necessariò exurgunt, adornare possit? Deinde ad peccatum omne non requiritur, ut è plenâ voluntate & consensu eliciatur; potest enim quoddam esse involuntarium, docente Scripturâ. Lev. IV. 2. 13. Anima, que peccaverit per ignorantiam, בְּשֹׁגְגָה, ex errore: Judæi Germani: Mit greiffung & glossa ad marginem: Mit ohnwißung; aded ut abscondita sit res ab oculis ipsius & postea demum nota fiat. Apostolus vocat παραλαβάντων ἴν τιμωρα πταμάτων, Gal. VI. 1. & David, שְׂגִיאוֹת נִסְתָּרוֹת, errores occultos, וְדִידֵי חֲדָבֵר נִסְתָּר מֵעֵינַי, R. D. Kimchi, ubi res abdita est ab oculis, Pf. XIX. 13. Paulus de seipso: Quod ago, non agnosco: non enim, quod volo, hoc ago, sed quod odi, hoc facio. Quod si id facio, quod nolo, consentio legi, quod bona sit. Nunc igitur non amplius ego id perpetro, sed peccatum, quod in me habitat. Rom. VII. 15. 16. 17. Et alibi: ignorans id faciebam. I. Tim. I. 13. D. Georg. Calixtus, Disp. de Peccato, Th. XIX. seqq. responsurus ad argumentum, quod infantes non capaces sint scientiæ atque adeò peccare non possint: peccati ratio, inquit, quam attendit philosophus, quâ talis, non nisi peccatum morale attinet; neque enim pro peccato habet, quod naturam (destitutam) consequitur, aut nullo modo voluntarium est. sed si hac hucusque extenderis, plane nobis perierit peccatum originis. Nam ne fingi quidem potest, quomodo à nostra voluntate id dependeat. Quidnam autem Scriptura pro peccato habeat, ostensum est supra, nempe quodcunque in homine vitium divinæ legi repugnat, & quodcunque aliquam virium humanarum divinæ obedientiæ subtrahit. Non obstante igitur dissensu voluntatis aut ignorantia intellectus, hodie post lapsum, & originale peccatum & quoddam aliud actuale, verè peccatum est: cur igitur hic dissensus in statu purorum naturalium peccati rationem destruet? cum insuper & in pura natura rebellio vitium sit, divinæ legi repugnans & aliquam virium humanarum, nempe appetitum, divinæ obedientiæ subtrahens. Tertiò, cum lex, contra quam peccatur, I. Joh. III. 4, non divina tantum sit & positi-



73, verum & naturalis, quam Deus ita in homine *ἐφαινεῖ*, Rom. I.  
 19. ut *inscriptum est in cordibus etiam gentilium*, atque aded omnium ho-  
 minum. Rom. II. 15. ut, *qui legem scriptam non habent, ea, quæ legis sunt,*  
*naturâ faciunt, quippe cum sibi metipsis lex sint,* vers. 14. aut natura careat,  
 necesse est, homo in puris naturalibus constitutus, quod in termi-  
 nis absurdum, aut legem habeat oportet. Cape hoc argumentum:  
 Quicquid inscriptum est à DEO ipsi naturæ humanæ, id & *φαιρὸν*  
 fuit in statu puræ naturæ. At legem. Ergo. Nempe testimonium  
 Apostolicum, neque potest intelligi, de inscriptione supernaturali,  
 cum gentilibus quoque contigerit, neque de inscriptione post la-  
 psam, cum naturæ per eundem nihil adjectum, sed detractum po-  
 tius fuerit, neque de inscriptione per imaginis Divinæ collatio-  
 nem, cum nec illa secundum eos, contra quos disputamus, natura-  
 lis fuerit, nec hodie in gentilibus supersit. Necesse est igitur, ut  
 intelligatur de natura, qualis in se est, citra ullum supernaturale  
 additamentum, hoc est, mera & pura. Ex quo consequitur, fal-  
 sum esse, quod lege destitutus fuerit purorum naturalium status.  
 Quartò; si vel maximè ab Apostolo totidem verbis non edocere-  
 mur: legi subjectam esse omnem naturam rationalem, quocun-  
 que illa in statu consideretur, res tamen ipsa & sana ratio hanc no-  
 bis veritatis confessionem sine dubio extorqueret. Hominem e-  
 nim in puris naturalibus constitutum, ratione præditum fuisse,  
 honesta intelligente & suadente, fatentur adversarii, & si diffite-  
 rentur, hominem esse eadem opera negarent. Quod enim istud  
 est animal, quod, quid bonum sit, quid malum, quid virtutis,  
 quid vitii nomine veniat, quid appetendum, quid fugiendum,  
 quid fas sit amplecti, quid æquum aversari, ignorat? bestia pro-  
 fectò, non homo. Noverat igitur homo purus, vel impurus po-  
 tius, honesta ipsi sectanda esse, turpia verò vitanda. Et si inco-  
 gnitum hoc ei natura fuisset, doceri hoc ratiocinando, colligen-  
 doque, si quidem rationalis fuit, & potestatem habuit unum ex  
 altero eliciendi, (quod de intimâ rationis essentiâ est) hunc in  
 modum potuisset: Creavit me supremum Numen, quod tam be-  
 neficium est, immensum infinitumque, quam immensæ infinitæ-  
 que potentiæ est, facere, ut ex nihilo fierem aliquid. Nec verò  
 DEUS fecit, ut essem res inanimis, verum ut animâ gauderem,



nec animâ qualicunq̄ue, sed ut animâ intelligente & volente cætera animalia, tanquam novo & inæstimabili beneficio, superarem. Quot hæc beneficia sunt, tot sunt vincula, quibus creatori meo obstringor. Sicut igitur ille infinitam in me ornandum potentiam impendit, ita ego infinitum ei, si fieri posset, amorem, honoremque debeo. Nihil in animâ, nihil in pectore, nihil in omnibus viribus, animæ corporisque esse posse aut debere sentio, quod non obsequio illius devoveri, destinarique par sit. Nihil in appetitu, nihil in intellectu, nihil in voluntate meâ inveniri posse aut debere agnosco, quod obedientiæ ejus se subtrahat, quod contra benefactorem tam benignum rebellet, quod amori & honori in illum meo sive directo consilio sive obliquo artificio adverteretur. Aut certè irrationalis fuerit homo in purâ naturâ, aut imperfectæ in essentialibus naturæ, (qualem à DEO creari, contradictionem implicat) aut ita vi rationis rationatus fuerit, oportet. Jam verò hæc talia, quid faciunt, nisi legem naturalem, & si omiseris, aut contra feceris, peccatum adversus eandem? Certè ne concipi quidem potest, quomodo cognoscere quis bonum & obligatione teneri ad faciendum illud possit, non tamen peccet, cum victus ab inferiori potentiâ contra bonum rebellat, verbi causâ, cum homo puræ naturæ, illectus dulcedinè vini, contra judicium rationis superioris, hoc nefas dissuadentis, mero se & falerno intemperanter ingurgitat, acremque exinde morbum contrahit, ut acutis doloribus motus, contra DEUM, qui tam fragilem ei indidit naturam, insurgat, & renitente quantumlibet rationis dominio, maledictionibus & blasphemis eundem proscindat. Hæc nempe tam nefanda flagitia, juxta te, Naturalista, vitia non erunt, sed naturæ languores: aut tu mihi denique expone, quid rationis habeat homo tuus, & quomodo eandem, sine recognitione debiti & officii & legis alicujus ratiocinando exerceat? Quintò, si prorsus exlex est homo in statu naturæ, nulli regulæ, nulli normæ alligatus, & si DEUS ex absolutâ potentiâ atque voluntate legem de honestate atque turpitudine morum sive ferre sive non ferre potest, tum DEUS *ἀδύρατος* & indifferens est *τῷ φῶτι*, neque justus neque injustus per se, neque bonus neque malus, neque sanctus, neque profanus; neque etiam in naturâ creatâ quicquam ex se

bo



bonum malumque, iustum & iniustum dabitur, sed omnia sua naturâ indifferentia erunt & neutra. Quam enim, rogo te, in DEO bonitatem finges, ante voluntatis suæ liberrimam manifestationem, cum ante hanc nulla juxta te sit lex, adeoque nec bonitas ulla, nec malitia moralis? Quam deinde iustitiam? Juxta te igitur DEUS non poterit esse naturâ bonus, nedum *solus bonus*. Matth. XIX. 17. Non poterit esse sanctus, nedum *sanctitatis exemplum*. Lev. XI. 44. Deinde quam in rebus ipsis bonitatem nativam excogitabis, cum naturâ nihil bonum sit, sed bonitatem demum à liberâ determinatione voluntatis DEI omnia accipiant? Quâ ratione quod hodie virtus est, cras vitium, quod hodie blasphemia est, cras pergratus DEO cultus, quod hodie bonum, amabile atque laudabile in oculis Divinis est, cras, DEO volente, quî utique velle, dum liber est, poterit, malum, abominandum atque culpabile erit. Poterit igitur DEUS hunc nobis proponere Decalogum: DEUM non colas, sed blasphemabis, Sabbathum profanabis, parentes contumeliosè tractabis, occides, mœchaberis, furaberis, mentieris, concupisces & rapies. Quicquid libet, licet. Et quæ denique erit differentia, inter incestum & scortationem, inter parricidium atque iracundiam, inter idololatriam & errorem, si peccata, quicquid malitiæ habent, non ex se sed ex merâ atque liberâ DEI voluntate habent? Quæ horrenda *rigora*, apud nonnullos ex Calvinianis pariter atque Pontificiis, qui eadem exosculantur, absurda quidem non sunt, veluti cum Samuel Rhetorfortis, in Acad. Scotiæ Andreapolit. Theologiæ Professor, Exerc. Apol. pro Grat. p. 351. & 358. scribit: *Nihil turpe esse respectu Divinae voluntatis; omnes res creatas & actiones humanas, nudè consideratas in se, adiaphoras esse, easque bonas moraliter esse, quatenus DEUS ipsas velit & jubeat, malas verò, quatenus nolit & vetet; atque ita adiaphora esse in se, amare DEUM, occidere hominem. Immo si statuisset DEUS, ut creaturae rationalis non coleret creatorem, id non minus equum & iustum fore, quam jam equum est ipsius contrarium. Quæ ex Patris Zwinglii hypothese: Eundem specie actum, qui in hominibus peccatum est, in Deo non esse peccatum; quia Deus sit exlex; ipse cum sociis aliis hausit, ceu accuratè demonstravit Jo. Hülsemannus, celeberrimus Ecclesiæ nostræ Theologus, Dial. Schol. de Auxiliis Grat. Qu. VII. S. 5. seq. Sed ab aliis*



ramen, quos tērior conscientia à tam tetro Indifferentismo ab-  
 horrere iussit, etsi purorum naturalium statum defendant, (ex quò  
 fœdum illud monstrum liquidissimâ & evidenti consequentia  
 fluit) cordatè rejiciuntur. Bellarminus libro III. de amissione  
 gratiæ & statu peccati, c. I. *Libertinorum impudentiam, quâ discrimen boni mali que tollant, non argumentis, sed tormentis & suppliciiis  
 coercendam esse, scribit, perinde, ut Aristoteles admonuerit, eos, qui de  
 rebus clarissimis & cum ipso lumine rationis apertissimè pugnantibus, dubitant,  
 non verbis refutandos esse, sed verberibus.* D. Georg. Calixtus, Part. II.  
 der gründl. Widers. des unwarh. ged. Dusch. S. CXXXIX. Es ist zu  
 wissen, daß Lex naturæ, das natürliche Gesetz aus zweyen Ursachen also  
 genennet werde: Einmahl / die weil es durch das Licht der Natur uns  
 bewußt ist / und dann fürs ander / die weil es solche Ding gebeut und ver-  
 beut / welche nicht darumb / daß sie also oder anderst geordnet und gese-  
 het / sondern an sich und ihrer Natur nach / entweder gut oder böß seynd.  
 4. Quicquid igitur vitii, quicquid peccati in statu puræ naturæ ef-  
 se, hætenus demonstravimus, id ultrò, & nemine dubitante, in  
 DEUM redundat auctorem. A quo enim homo naturam habet,  
 ab eodem habet & ea, quæ naturam necessariò comitantur. At  
 quantum scelus est, quod & gentiles execrati sunt, inter quos Eu-  
 ripides:

*Οσοι εν αυτη εις τινος, ει κακοι, εδποιε,*

*Diese DI cessant, mali si quid patrant;*

DEO causam adscribere vitiorum? Damnavit antiqua Ecclesia  
 impuros Manichæos, qui dum duo venditarunt principia, bo-  
 num, malumque scelerum insimulare aliquod Numen haud eru-  
 buerunt: *At tanto peiores illis videri debent, qui mala simul ac bona ab eo-  
 dem derivant principio, quanto peius est, Deum optimum mali authorem fa-  
 cere, quam est, cum non nisi authorem boni facere, atque interim ei jungere aliud,  
 qui mali tantum author sit;* ita rectè contra Jo. Cameronem, Scoto-  
 Britannum censet Sim. Episcopus c. IV. Def. 5. Quanto verius  
 denique & sanctitati Dei convenientius est, credere, primum ho-  
 minem conditum esse, in exactâ facultatum omnium *συμμετρία* &  
 naturali harmonia? Nam & potuisse hoc Deum, impius sit, qui du-  
 biter: & voluisse, sapientia ejus & bonitas, ne de argumentis aliis  
 brevitatis causâ quidquâ dicamus, abundè nobis testatū reddunt.  
 Quid



Quid igitur me cogit, inimicam quandam concupiscentiarum  
*arabias* & inordinatam *obgeat*, menti meæ imprimere, S. Literarum  
 luce destitutæ, cum possim pulcherrimam affectuum omnium &  
 cupiditatum amicitiam & convenientiam? Inprimis, cum quic-  
 quid peccaminosæ contentionis & intestini belli naturæ nostræ  
 hodie hæret, id uni lapsui, non naturæ, neque naturæ conditori  
 imputet Scriptura. *Per unum hominem peccatum intravit in mundum.*  
 Rom. V. 12. Prosper Aquit. Respons. ad Capit. Gallor. c. I. p. 96.  
*Prædestinationis fides, multâ sanctarum autoritate Scripturarum munita est:*  
*cui nullo modo fas est, ea, quæ ab hominibus malè aguntur, adscribi; qui in*  
*proclivitatē cadendi non ex conditione DEI, sed ex primi patris prævarica-*  
*tione venerunt.* Et Resp. ad Capit. object. Vincentian. c. I. pag. 110.  
*Ex vulnere originalis peccati, quo in Adam omnium hominum corrupta &*  
*mortificata natura est, omnium concupiscentiarum morbus inolevit.* In  
 Apologiâ Aug. Conf. Art. de Pecc. Or. p. 51. reprehenditur eorum  
 sententia, qui disputant, peccatum originis non esse aliquod in naturâ homi-  
 nis vitium, seu corruptionem, sed tantum servitutem, seu conditionem morta-  
 litatis; hoc est, ut Form. C. interpretatur, eod. art. p. 642. *Non esse pecca-*  
*rum, sed conditiones quasdam, aut concreatas essentielles naturæ proprietates.*  
 Atq; hæc hæctenus de purorum naturalium statu ideò prolixius  
 disquisivimus, quia is ex omnibus hypothesibus, quibus innocen-  
 tia & impeccabilitas damnatorum fulcitur, facile palmaria est, in  
 quam cætera ferè argumenta, quamquam, qui negativam senten-  
 tiam amplectuntur, hoc non advertant, vel advertere nolint, neces-  
 sariò resolvuntur.

XCII. Argumentum quartum hoc est: Quicumque obstina-  
 tus est in malo, is peccat. Damnati. Ergo. Minor probata est,  
 S. XLIV. Ad majorem Albertus hunc in modum distinguit & li-  
 mitat: *Dicendum, quod obstinatio dicitur dupliciter. Scilicet, immobilis*  
*voluntas à malo concepto, ex pertinaciâ solius malitiæ, & immobilis voluntas*  
*à malo concepto, ex confirmante justitiâ.* Et primo modo non excusat, sed ac-  
 cusat, sed secundo modo. *Quod ita est, quia ordinavit justitia Divina, quod,*  
*quicquid finaliter vult libera voluntas, quod ab illo averti non possit post mor-*  
*tem.* Et ideò mali à malo concepto non avertuntur. Et ideò dicitur. Ez. 32.  
*Fuerunt iniquitates eorum in ossibus eorum & arma sub capitibus eorum. Hæc*  
*autem obstinatio pœna est, non culpa.* Nempe: Quicumque obstina-  
 R tus



sus est in malo, ex propriæ malitiæ voluntate, is peccat: conceditur major, negatur minor: sed, quicumque obstinatus est in malo, ex decreto & voluntate justitiæ, hanc obstinationem pro pœnâ distantis, is peccat; negatur major, conceditur minor. Sed verò I. prodit infirmitatem limitationis Albertus ipse, cum in minore concedit, obstinationem animi damnatorum provenire quidem ex pertinaciâ malitiæ propriæ, quippe cui immortui fuerunt, quamquam neget, ex solâ malitiâ oriri. Ex quo hoc contra ipsum formamus argumentum: Quicquid ex malitiâ oritur, (abstracto, utrum ex malitiâ solâ, an verò ex alio simul fonte originem ducat,) id, quâ tale, malum est & peccaminosum. Atqui obstinatio damnatorum. Ergo. Major probatur, quia impossibile est, peccati causam & peccatum ipsum, id est, fontem & inde promanantem rivum, diversæ naturæ esse, aut toto genere inter sese differre. II. Immobilis voluntas à malo concepto ex confirmante justitiâ, dupliciter potest intelligi: vel, ut immobilitas voluntatis malitiôsæ à DEO justo, per actionem quandam realem, efficiatur; & sic vera esset propositio major; qui est obstinatus in malo ex decreto justitiæ, obstinationem realiter causantis, is non peccat; falsa autem minor, quod hæc obstinatio in malo à DEO efficiatur. Quomodo enim hoc sine causalitate mali, in DEUM redundaturâ, fieri posset? Qui voluntatem in malo immobilem facit, actione quâpiam reali & physicâ, is certè ipsam malitiam facit, ceu ex terminis patet. Absit autem, ut hoc de DEO dicamus. Vel intelligitur ita, ut immobilitas voluntatis malitiôsæ à DEO justo efficiatur, per subtractionem gratiæ, ad quam obstinatio, non ex culpâ DEI, sed hominis, necessariò consequatur. Et hac ratione minor quidem vera est. Cum enim DEUS hominem damnatum gratiæ suæ auxilio deserit, fieri nequit, quin, citra ullum ulteriorem actum, immobilis in malo reddatur. Decedit damnatus in flagranti peccato & incredulitate, clauditur gratiæ janua, subtrahuntur vires ex peccato surgendi, adeoque moritur vitâ spirituali. At mortuus ex sese surgere nequit & qui semel peccavit, citra gratiæ DEI supernaturalis, quæ tamen damnatis non contingit, concursum, ex peccato eluctari non potest; inde necessariò & immobiliter in peccato manet. Vera igitur minor est,

et sic fa  
 hoc doc  
 gratiæ  
 cando  
 volunt  
 cui sum  
 lam conse  
 non debe  
 sum adeo  
 pertinaci  
 ipsum per  
 reddita est  
 moritur;  
 potius in  
 nihil grati  
 immobil  
 specie aff  
 quid veli  
 nationem  
 hoc probat  
 modum. F  
 rit justiti  
 bera volun  
 in bono, q  
 tem, sed p  
 ex futuro  
 injustum  
 se patet.  
 obstante,  
 est, tamen  
 bene age  
 firmante  
 caminos  
 qui veru  
 Ezechiel  
 esse, suppe



est, sed falsa tamen major, cujus contrarium potius verum est, ut hoc docetur syllogismo: Quæcunque voluntas immobilis per gratiæ Divinæ subtractionem in solidum efficitur, ea à peccando adeò non liberatur, ut in peccato potius relinquatur. At voluntas damnatorum. Ergo. Dices: etiam is, qui auxilium alicui subtrahit, causa est moralis ejus rei, quæ ad subtractionem illam consequitur. Respondeo: si auxilium debeat, concedo, si non debeat, nego. Jam verò DEUS homini damnato auxilium suum adeò non debet, ut contrarium potius debeat, quippe quod pertinaci malitiâ meruit. Prorsus, sicut Adami voluntas ipsum per lapsum, subtractâ tantum imagine Divinâ, immobilis reddita est, per sententiam decretoriam: *quâ die peccaveris, morte morieris*; ut tamen per hoc non sit liberata à peccato, sed incidere potius in peccatum, in quo, perinde ut damnatorum, mansisset, nisi gratia Divina, & ea prorsus immerita atque gratuita, hanc immobilitatem sustulisset. III. Prorsus sine ullâ probabilitatis specie asseritur; idèd, quod ordinaverit justitia Divina, ut, quicquid velit finaliter libera voluntas, ab eo averti non possit, obstinationem non esse culpam, sed pœnam duntaxat. Unde enim hoc probabitur? unde verosimile reddetur? Quin ego in eundem modum, & ex eâdem ratione, ita colligo: Idèd, quod ordinaverit justitia & misericordia Divina, ut, quicquid velit finaliter libera voluntas, ab eo averti non possit, confirmationem salvatorum in bono, quâ ei immobili voluntate adhæfuri sunt, non esse virtutem, sed præmium duntaxat virtutis? Et sic prona consequentia ex futuro seculo bonum, malumque, virtus & vitium, justum & injustum omne, exterminabitur. Quod, quam absurdum sit, ex se patet. Nos potius ita inferimus: si salvatorum voluntas, non obstante, quod à confirmante justitiâ in bono immobilis reddita est, tamen benè & virtuosè agere potest, quinimo hoc ipso magis benè aget, tum damnatorum voluntas, non obstante, quod à confirmante justitiâ in malo immobilis reddita est, tamen malè & peccaminosè agere poterit, quinimò hoc ipso magis malè aget. Atqui verum est prius. Ergo & posterius. Denique IV. locum Ezechielis, c. XXXII. 27. in literali sensu improprie exponendum esse, supponitur, non probatur. Et, si vel maximè approbemus



allegoriam Hieronymi, ad quam sine dubio respicit Albertus: & posuerunt gladios suos sub capitibus suis & fuerunt iniquitates eorum in osibus eorum, quia terror fortium facti sunt in terrâ viventium. Hi, inquit, qui hæreticorum principes extiterant, ad tantum malitiæ pervenere culmen atque cruciatum, ut nec cum fortibus atque gigantibus, qui à principio corruerunt, similia mereantur ferre supplicia. Quia nequaquam erroris sui actâ penitentiâ, descenderunt ad inferos, cum armis suis, rebelles contra DEUM & Ecclesiam ejus secum arma deferentes, de quibus scriptum est: filii hominum, dentes eorum arma & sagitta. Et posuerunt, ait, gladios suos sub capitibus suis, requiescentes in animo perduelli & pro summâ victoriâ sententiarum jacula complexantes, in tantum, ut iniquitates eorum fuerint in osibus eorum, hoc est, fortissima figmenta & erroris sui dogmata possidentes: Nihilominus tamen nulla est consequentia: Requiescunt hæretici in inferno in animo perduelli, ergo non peccant; quin contrarium potius sequitur, sicut ex supra dictis patet. Quamquam præterea Hieronymus, in ultimis his verbis, hæreticorum ingenium, non quale in inferno futurum est, sed quale in hoc seculo inter varia peccata pertinaciter fuit, antequam ad infernum descenderent, describi velit. Ex quo denudè pro nostrâ potius, quam Alberti sententia rectè concludi posse omnes animadvertunt.

XCIII. Quintum argumentum §. XLV. in nervum contractum, hoc pacto elidere Albertus conatur: Ad aliud dicendum, quod justitia divina facit, ut infligens istam obstinationem, sed non, ut causa meritoria. Sicut & mortem facit justitia Divina infligens, sed ut causa meritoria impii manibus & verbis accerserunt illam. Et est simile. Sicut fur primâ voluntate contrectat rem alienam, & condemnatur ad ostensionem justitiæ judicis, cum ligatur immobiliter super collum ejus & separatur ab eo etiam invito. Nempe distinguit inter causam obstinationis & inordinatorum motuum meritoriam & infligentem, seu non meritoriam, eamque sic applicat: sicut fur, ex propriæ voluntatis malitia, causa meritoria est suspendii, quod immobiliter collum ipsius ambit, ut tamen hoc non obstante, judex quoque causa sit, ejusdem suspendii, non meritoria, sed ex justitiæ decreto infligens: ita quoque inordinatorum in damnatis motuum, quibus immobiliter adhærent, causam meritoriam esse ipsam damnatorum malitiam, ut tamen hoc non obstante DEUS, tanquam justus judex, causa fit



sit non meritoria, sed infligens, ejusdem obstinationis & exinde  
 propullantium moruum inordinatorum. Exinde absurdum  
 non esse, ut eadem res partim sit à voluntate, partim à DEO, pro  
 diverso respectu; quod verò à DEO est, peccatum esse non posse.  
 Sed verò hæc iisdem responſionibus solvuntur, quibus præcedens  
 exceptio. Nam I. fatetur nihilominus Albertus, obstinationem  
 damnatorum à voluntate ipsorum esse, ut à causâ merente. Ergo  
 hætenus erit peccatum. Qualis enim causa est, talis est effectus.  
 II. Obstinationem illam à DEO infligente haud aliter esse posse,  
 quam per gratiæ subtractionem, non per realem causalitatem, su-  
 pra probavimus. III. Sic quoque Salvati secundum Albertum  
 sunt causa meritoria confirmationis in bono, & DEUS est causa  
 efficiens confirmationis eorundem, quod tamen ipsis non obest,  
 quò minus benè agere & virtutem exercere possint. IV. Obsti-  
 nationi damnatorum non rectè ab Alberto comparatur sive mors  
 eorundem, sive immobile furis suspendium. Nam mors homi-  
 nis naturalis & suspendium furis, quamquam ex peccato, ut pœ-  
 na, oriuntur, peccata tamen in se non sunt, neque cum peccatis ne-  
 cessariò connexa, sed finem potius peccandi faciunt, atque idèd à  
 DEO, tanquam causâ infligente, omninò esse possunt: *Ego DEUS,*  
*& non est alter, formans lucem & creans tenebras, faciens pacem & creans*  
*malum; Ego Dominus, faciens omnia hæc. Es. XLV. 7. Bona & mala,*  
*vita & mors, paupertas & honestas à DEO sunt. Sir. XI. 14.* Sed obsti-  
 natio damnatorum in malo & ex peccato oritur & peccatum in  
 se seu inordinatus contra legem motus est & denique ex eâ, tan-  
 quam firmo fixoque habitu, peccata necessariò promanant. Atque  
 idèd à DEO infligente nullo modo causalitatis esse potest, sive is  
 sit influxus in rem inordinatam atque habitum malum physicus  
 & realis, (quâ ratione DEUS causa physica mali efficeretur) sive  
 concursus aliquis moralis, propter quem obstinatio ista DEO jure  
 imputari posset. At verò DEUS multò minus causa mali mora-  
 lis esse potest. Quamquam enim subtrahat auxilium, quo sub-  
 tracto damnati in peccato *in statu suo* relinquuntur, quia tamen au-  
 xilium istud non debuit, idèd moralis causa nequaquam reddi-  
 tur. Quâ de re acutissimi philosophi, Paul. Slevogtus, *Disp.*  
*Acad. Mor. VI. §. 39. f. Dan. Stahlius, Disp. ad Tab. Met. Tab. VI. &*  
*Pet. Musæus, in Metaph. c. XIII. egerunt.* R 3 XCIV,



XCIV. Sextum argumentum, §. XLVI. propositum hoc est: Omnis actus moralis inordinatus, isque necessarius, ex actu inordinato, eoque voluntario ortus, est peccatum. Actus damnatorum. Ergo. Excipit Albertus: *Ad aliud dicendum, quod hoc intelligitur de illis peccatis, quorum unum inducit in aliud, sicut ebrietas in fornicationem vel homicidium. Sed hic non est sic, quia voluntatis immobilitas causatur ex inflictione pœne.* Sed responderetur, I. Eandem prorsus esse rationem actuum inordinatorum in inferno in ordine ad actus inordinatos in hac vitâ, ac ebrietatis in ordine ad fornicationem vel homicidium. Sicut enim ebrietas voluntariè contrahitur: ita & cæteri actus inordinati in hac vitâ. Sicut ebrietas rationis usum ita turbat, ut in peccata alia, non animadversâ eorum turpitudine, ruat: ita & actus cæteri inordinati in hac vitâ intellectus voluntatisque officium ita confundunt, ut in peccata quasi impetu ferantur, nec peccare desinant, quousque rationis illa turbatio habitualis durat. Durat autem ad mortem usque, imò & post mortem. Sicut ebrietas externâ suâ dulcedine in fornicationem & adulterium inducit: ita & cæteri inordinati actus in vitia infernali statui propria. Quid igitur est, quod dicit Albertus: hic non esse sic? II. Non negare poterat Albertus in solutione ad secundum, vitia damnatorum ex pertinaci malitiâ eorundem, quæ in hac vitâ præcessit, originem habere, etsi simul ex confirmante justitiâ esse dixerit: quod quid aliud est, quam pertinacis malitiæ actus ad vitia infernalia eos deduxisse? III. Falsum est, quod immobilitas voluntatis damnatorum malæ, quâ talis, efficiatur ex inflictione pœnæ, tanquam ex causâ operante; DEUS enim, cum habitualiter & pertinaciter, ex se & ex propria culpa, peccantibus gratiam suam subtrahit, qua negata surgere ex peccato nequeunt, sed in peccato immobiliter hærent, nihil confert voluntati sive ad peccatum sive ad immobilitatem peccandi, sed, quicquid peccati & immobilitatis est in voluntate, id ex proprio peccantis vitio adæquatè dependet: sicut qui sua culpa in foveam incidit, ex qua eluctari non potest, nisi quis eum extrahat, solus lapsus sui causa est, non ille, qui, cum non teneatur, possit tamen, eundem non extrahit. IV. Addimus denique ad hoc pariter atque superiora Alberti effugia, evidentem instantiam, ab immobili-

bellare  
Quicquid  
dum Al  
à justit  
rentur  
I. Joh. M  
est' ab  
collante  
XCIV  
varis sive  
tenit Al  
remque p  
valeo, qu  
applicar  
vivunt  
vita, ill  
Ratio, q  
est. 7  
scens; A  
VII. 24.  
quis in vi  
li argum  
de respon  
XCIV  
XLIX. a  
Ad aliud d  
pœna in e  
morali r  
quis ita c  
& rapinis  
num publi  
nis & ob  
dum, dep  
amplius  
XC  
patrum c



bilitate voluntatis Diabolicæ, qualis hodie est, depromptam. Quicquid enim inordinatorum actuum est in Diabolo, id secundum Albertum est ex inflictione pœnæ, seu voluntatis eorundem à justitiâ DEI confirmatâ immobilitate, vel verius ex subtracta potentia non-peccandi gratia. Et tamen Diabolus ἀμαρτάνει, peccat. I. Joh. III. 8. ἀνθρώπου κτάνει est & mendax. Joh. IX. 44. Atque adeo κατ' ἕξωχὸν πονηρὸς. Matth. V. 37. VI. 13. Quidni igitur idem, non obstante pœnali inflictione, de damnatis in inferno dici possit?

XCV. Septimum argumentum, §. XLVII. propositum àq; variis sive objectionibus sive dubiis vindicatum, alto silentio contemnit Albertus, ratus, eadem distinctione illud in fumum, æremque prorsus dissolvi. At ego ne hariolando quidem assequi valeo, qua specie emplastrum hoc vulneratæ suæ sententiæ velit applicare? Argumentum nostrum hoc est: Quicumque in statu vivunt deteriore, atque infelicio, quam qualis est in præsentî vita, illi non pœnæ tantum, sed culpæ quoque malo obnoxii sunt. Ratio, quia utrumque malum malum est, infelicitas est, miseria est. Ταλαίπωρος ἐστὶν ὁ ἀνθρώπος, clamat Paulus, peccato suo ingemiscens; Miser ego homo, quis me liberabit à corpore mortis hujus? Rom. VII. 24. Ad damnati. Ergo. Expectabimus igitur, donec quis in vices magni Alberti succedat, & qua ratione huic aut simili argumentationi distinctio isthæc medeatur, nobis, tum etiam de responsione cogitaturis, ostendat.

XCVI. Octavum argumentum, in vinculum Logicum, §. XLIX. adstrictum, ex ipso Magistro ita solvit Albertus, ut dicat: Ad aliud dicendum, quod non est locus emendæ, ut dicitur in Literâ: & idem pœna ibi experta non aggravat. Ad quæ allegato loco ex doctrina morali responsum est. Neque dissimilis argumentatio foret, si quis ita colligeret: Titius occultè, dum domi suæ est, cædibus & rapinis dans operam, graviter peccat. Ergo, quando se latronum publico conciliabulo associat, ubi locus non est emendationis & ubi supremi latronum principis imperium ad latrocinandum, deprædandumque necessitatem ei immobilem imponit, non amplius peccat.

XCVII. Nonum argumentum auctoritas vetustissimorum patrum constituit, circa quod Bonaventura nihil aliud monet, nisi quod



quod sententiã suam proponit, ex qua de mente antiquorum Doctorum satis constare posse existimat. Dicendum, inquit, quod mala voluntas dicitur dupliciter, ut actus & habitus. Dico ergo, quod timor servilis damnatis non aufert habitum male voluntatis, sed aufert actum. Iste enim non vult luxuriari, quia timet puniri de ipsa voluntate. Tamen habitum non aufert, quod patet; quia, si separaretur impunitas, vellet utique luxuriari. Sic intelligendum est in damnatis, quod dolor pœnalis aufert ab ipsorum voluntate actum, volendi peccare, quod revera damnati non appetunt luxuriari, nec dominari, propter pœnas, quas ex illis actibus sentiunt se incurrisse. Habent tamen habitum voluntatis mala, per quam appeterent peccare, si non crederent se puniri. Si ergo queras, utrum damnati nolint peccasse, dico, quod nolunt, non propter hoc, quod peccatum eis displiceat, quasi injustum, sed quod eis displicet pœna justa. Et ideo malam habent voluntatem, hoc volendo; & ideo vivit adhuc in eis voluntas peccandi, licet dolore pœnarum impediatur, ne exeat in actum suum. Et sic patet responsio ad primum. Prolixè pingit, ut vero similem reddat, opinionem suam de habituali damnatorum peccato, de quâ, quamquam iudicium nostrum §. xxxiv. exposuerimus, nunc tamen insuper etiam ostendemus, quâ hæc pigmenta nihili sint, sequemet ipsa ultrò destruunt. Nam I. aut solum habitum, sine omni inde emanante actu, in damnatis somniet Bonaventura, necesse est, aut actum ex habitu provenientem peccatum esse oportet. Qualis enim est causa, talis est & effectus, & impossibile est, causam deterioris esse conditionis à suo, quem univoçè producit, effectu. Jam verò tales sibi imaginari homines damnatos, à quibus omnis actus moralis exulet, qui nihil agant, quod vel laude dignum sit vel vituperio, sed quorum habitus perpetuo in odio pertinaciter quiescat, est fingere hominem, non tam bestię, quæ ad illatas sibi injurias & violentiam irascitur, moveturque, quam lapidi cuidam similem, sicut in subsecuturâ, de generalibus damnatorum actionibus tractatione, uberius demonstrabitur. II. Timorem servilem, seu metum & consternationem, quam ex pœnarum atrocitate sentiunt damnati, actus malæ & in flagitii pronæ voluntatis in universum & sine discrimine suppressuram esse, falsum est, cujus contrarium tum invictis rationibus, §. LIII. tum testimonio & auctoritate Jesuitæ, inter suos clarissimi, Gregorii de Valentia, probavimus, Supplicia enim



enim tam acerba, tam diuturna, sine ullâ spe vel mitigationis vel terminationis, patienter & sine contrario in inferentem motu perferre, indoli naturæ animalis atque rationalis tam aduersum est, quam fieri nequit, ut bonum non appetat naturâ, & malum non fugiat atque detestetur. III. Quamquam pœnarum dolor nonnullos actus vitiosos, veluti luxuriari & dominari, sufflaminet, quippe qui cum vehementiâ acris cruciatus consistere non possunt, tantum tamen abest, ut cœteros, qui ex dolorum acerbitate per se oriuntur, tollat, ut ponat potius & confirmet, agnoscente ipso Bonaventurâ, qui Q. III. n. XII. Dicendum, ait, quod etsi in damnatis aliquo modo remittantur affectiones libidinosæ, propter pœnarum magnitudinem, ille, inquam, affectiones, quæ habent annexam delectationem: attamen affectiones, in quibus est pœnalitas, vigorantur. Unde etsi cessat actualiter affectus luxuriandi & dominandi, tamen intenditur affectus sive furor impatientiæ & livor invidia. Unde tunc dentibus suis frement & tabescent. Et quoniam vigebit in eis odium & invidia, idèd vehementer tristabuntur & tabescent in gloriâ electorum. Idèd ad satiandam suam impiissimam æmulationem vellent nullis esse beatos, immò omnes esse miseros. Et quia nec ipsi ad beatitudinem possunt pertingere, nec alios possunt à statu beatitudinis amovere, idèd in semetipsis vehementer tabescent & confunduntur. At impatientia & livor invidiæ & impiissima æmulatio, actus sunt, ex habitu malæ voluntatis orientes, & actus quidem mali atque peccaminosi. Inprimis, cum impatientia ista eò ascendat, ut DEum ipsum convitiis proscindat atque blasphemet, quod Bonaventura cum suis non inficiatur. Necessè igitur est, ut actualiter, non habitualiter tantum peccent damnati. IV. Ex quo ipso tamen luculenter apparet, quam sese confundat & contradictionibus implicet præsens sententia. Si enim damnatus idèd non vult luxuriari, quia timet puniri de ipsâ voluntate, seu, ut semet exponit Bonaventura, propter pœnas, quas ex illo actu sentit se incurrisse, ergo ex eadem ratione non volet impatientiæ & invidiæ actum exercere, DEUMque blasphemare, quia hi actus æquè ac illi tantum pœnarum cumulum induxerunt. Nam à: Quia, ad: de omni, valet consequentia. Et tamen alterum affirmat Bonaventura, alterum negat. Porrò, cum quæritur: an damnati velint se peccasse, idque de actuali voluntate negatur, ex eâ ratione, quia

S

actu-



actualiter non velint luxuriari & dominari; nemo non videt à particulari concludi, seu potius, à negato actu uno ad negandum alterum, à negatâ specie ad negandum genus: non vult luxuriari, ergo nec blasphemare, ergo nec omninò peccare: Vel si disertè se actum impatientiæ concedere in damnatis profiteatur Bonaventura, dico, non fuisse ad quæstionem, vel certè non sufficienter responsum. Ita enim potius respondendum fuisse, res ipsa docet: voluntatem peccandi in damnatis quoad nonnullos actus habitualementantum, quoad alios autem actualement esse. Sed nempe retraxit hoc dicturum Bonaventuram Augustini auctoritas, qui dixerat: *voluntatem peccandi damnatis nunquam, sed facultatem deesse.* Maluit igitur in istas se difficultates & contradictiones induere, quam à verbis illius recedere. Denique V. ipsa quæstionis determinatio apud Bonaventuram ita comparata est, ut pro actuali peccato damnatorum evidenti consequentiâ possit inde concludi: Quicumque enim idèò actualiter nolunt se peccasse, *non propter hoc, quod peccatum eis displiceat, quasi injustum, sed quod eis displicet pœna justa,* illi actualiter hoc ipso peccant, cum displicentia peccati, quæ legitimum non habet finem, sed eum potius, qui voluntati DEI adversus est, velut aversationem justissimæ, àque DEO ipso inflictæ, pœnæ, peccatum sit actuale, sicut ex definitione peccati palam est. Ex quibus omnibus patet, sententiam nostram de actualibus damnatorum peccatis adèdè firmis niti præfidiis, ut confessionem veritatis etiam adversæ opinionis fautoribus exprimat, neque posse tam otiosum in inferno peccatum somniari, quàm aliquando in nonnullos, si non in hos, tamen in alios, vitiosos actus & scelera prorumpat.

XCIIIX. Argumentum decimum, §. L. propositum, non uno potest modo formari. Si angeli mali peccant, tum peccant & damnati. At verum est prius. Ergo & posterius. Si non obstat atrocitas cruciatus infernalis, quo minus peccet angelus malus, tum neque obstat eadem atrocitas, quo minus peccet damnati. At verum est prius. Ergo & posterius. Negat minorem Bonaventura, quæ, quando probata fuit per id, quod voluntas angeli mali hodie mala sit, nec post iudicium mutetur, hunc in modum respondet: *Ad illud, quod objicitur, quod voluntas est invertibilis,*

Esse dicendum  
pena versio,  
verò l. para  
spolientur d  
veris, par  
mus. H  
mali post iud  
peni vero an  
enim hoc non  
idem status a  
bique inferna  
causis non pe  
ni detrahit in  
ll. 4. Ange  
domicilium, n  
Ep. Jud. ven  
ante iudicium  
unt vim illa  
runt. Non  
partim coner  
dentem ratio  
cantr. H  
nis, quem per  
fractu in malo  
m. ego d. emmi  
incedens via  
opinionis habet  
usque ad diem  
cipient condem  
ratione pecca  
centiam con  
Angelum en  
tan, & hacten  
caro, ab omni  
moto indige  
los quoad se



bilis, dicendum, quod verum est, de voluntate, quantum ad habitum, in qua sit plena versio, sed non est verum de vertibilitate, quantum ad actum. Sed verò I. paragrapho superiore, quam fieri non possit, ut omni actu spoliatur damnati, sive angeli sive homines, partim ex principiis veris, partim ex adversariorum concessione, luculenter ostendimus. II. Probandum est invictis argumentis, cum poenâ angeli mali post iudicium non actum peccandi, sed solum habitum, cum poenâ vero ante iudicium & actum & habitum consistere posse. Si enim hoc non respuit status infernalis hujus vitæ, neque respuet idem status alterius vitæ, cum poena malorum angelorum, utrobique infernalis sit & gradu duntaxat differat. *DEUS angelis peccantibus non pepercit, ἀλλὰ ἐπέταξε τὸ σφραγίσαι τοὺς, Vulgat. rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos in iudicium reservari.* II. Petr. II. 4. *Angelos non servantes principatum suum, sed relinquentes proprium domicilium, in iudicium magni diei, vinculis perpetuis, sub tenebras servavit.* Ep. Jud. vers. 6. Si igitur in tenebris his infernalibus & tartareis ante iudicium peccare possunt, quidni & post iudicium? Sentiant vim illationis Scholastici, quare non uniusmodi effugia quaerunt. Nonnulli peccare angelos malos ante iudicium negant, partim contra expressam Scripturæ literam, partim contra evidentem rationem, quam ita premit Albertus Magnus, Art. II. in contr. *In contrarium est, quod auctor mali non debet esse melioris conditionis, quam per suus in malo à demone. Sed video, quod homo jam est persuasus in malo à demone, & imputatur homini tale peccatum: Ergo multò magis demoni debet imputari.* Quando verò idem Albertus, mediâ incedens viâ, elabi nititur, dicendo: *Dicendum, quod utraque pars opiniones habet per se; videtur tamen tutior esse via dicentium, quod peccent, usque ad diem iudicii, quando finalem quoad maiorem poenam & carcerem accipient condemnationem; & tunc amplius peccare non poterunt: tunc, quâ ratione peccandi ἀπολλύται, conciliet major poena, cum peccandi licentiam concedat minor, indubitatis rationibus docendum est.* Angelum enim malum, post iudicium, quoad actus malitiæ mutari, & hactenus meliorem reddi, quod solo pressus habituali peccato, ab omni scelere & peccato actuali profundas ferias agat, immoto indiget argumento; quo deficiente, credendum est, angelos quoad se, insitamque ipsis malitiam, nequaquam, cum talem



ad emendationem ipsos promoventem gratiam non meruerint, meruerint autem iustitiam, deteriori eos loco ponentem, sed solummodo secundum pœnæ gradum & augmentum mutari.

XCIX. Ad argumentum undecimum, §. LI. illustratum, obscura est Bonaventuræ responsio: *Ad illud, inquit, quod objicitur, quod malitia inclinatur, sicut gratia, dicendum, quod non est simile: quia motus gratiæ premiatur in simili & convenienti, sed motus libidinis in dissimili, ut in dolore, & idè impeditur, sed motus gratiæ consummatur.* Sensus verò hic est: non licere à gratiâ ad malitiam, seu statu gloriæ ad statum damnationis ita argumentari: *Quicquid facit gratia in salvatis, id facit malitia in damnatis: at in salvatis hoc efficit gratia, ut perpetuò benè agant: Ergo in damnatis id efficit malitia, (quippe quæ negatâ gratiâ, sola, ut principium agendi, superest) ut perpetuò malè agant.* Ratio negationis est, quia in salvatis gratia agat in rem similem, id est, talem, quæ gratiæ non contrarietur, sed per eandem, cum nullum interveniat obstaculum, facile possit obtineri: malitia verò in rem dissimilem, id est, naturæ hominis damnati repugnantem, quam malitia, propter intercedens impedimentum, non possit in effectum deducere. Omnem enim causam agere, secundum philosophum, *ἢαν μὴ τι κολῶν καὶ ἐμποδίζῃ, nisi quid impediatur, aut obsit,* impedire autem in damnatis pœnæ acrimoniam, quo minus in actus libidinosos & peccaminosos, quantumlibet habitualiter velint & optent, erumpere possint; id quod in gratiâ, circa salvatos occupatâ, non fiat. Sed facile ex superioribus responderetur, concedendo in aliquibus impediri malitiam, quo minus in actus excurrat, qualia sunt libidini operam dare, agitare dominium & facere de cœtero, quæcunque carni suavia fuere atque jucunda: sed exinde ad negationem quoque cœterorum actuum, velut, blasphemiam, odium, impatientiam, livorem, invidiam, iram colligere, est argumentari, à negatâ unâ specie ad negandam alteram, quasi dicas: homo non est; ergo neque canis, neque equus, neque leo. Quemadmodum igitur non sequitur: Gratia salvatos ad temperantiam disponere non potest, ob interveniens impedimentum, quia nempe cibo & potu carebunt incolæ cœlestes, quibus absentibus neque temperantiæ neque intemperantiæ locus est: Ergo neque disponet ad cœteras

vir-



virtutes, utpote amorem DEI, celebrationem ejusdem, charitatem erga proximum, ubi impedimentum nullum est: ita neque in simili de malitiâ damnatorum licebit arguere. Quinimò in contrarium jure meritoque hunc in modum argumentamur: Omnis causa agit, ubicunque non impeditur. At malitia in damnatis est causa malitiosorum actuum, quia post judicium nihil in damnatis, præter malitiam, quod ad moralitatem accedit, relinquatur. Ergo hæc malitia agit, quousque non impeditur. Non impeditur autem in odio DEI actuali, infinitisque aliis vitiis, vel Bonaventurâ ipso aperte non concedente tantum sed propugnante, sicut passim à nobis ostensum est.

C. Ad argumentum duodecimum, §. LII. propositum, Bonaventura sequentem in modum respondet: *Ad illud, quod objicitur, quod abstinere à voluntate peccandi non est sine gratiâ, dicendum, quod de voluntate habitu non est sine gratiâ; sed de voluntate actu distinguendum est. Quæ aut abstinere ab actu malo, quia contra DEUM & quia iniquum, & hoc non est sine gratiâ gratis data. Hæc enim preparat ad ulteriorem gratiam. Aut, quia hoc est lascivum. Sic si aliquis dimittit fornicari, vel inebriari, quia amittit visum. Et talis est per naturam punitam. Similiter dico, quod damnati refugunt, propter timorem pœnæ. Quâ in exceptione I. admittit Bonaventura, etsi non actu, habitu tamen peccare damnatos, neque habituale hoc peccatum citra peculiarem DEI gratiam aboleri è damnatis posse, aut tolli. Quod ejus sententiæ patronis, quæ ab omni profuso vitio damnatos liberat, rectè opponitur.*

II. Quamquam verum sit, quendam actum peccaminosum, exempli causâ fornicationem, aut blasphemiam, etiam sine concursu singularis gratiæ, sufflaminari in homine & aboleri posse pœnæ metu, aut spe præmii temporalis, fieri tamen nequit, ut citra gratiam aboleatur omnis motus malitiosus, cum peccatum habituale, intra animum latens, nunquam possit esse omninò otiosum, sed, licet non in hunc necessariò illumve, aliquem tamen peccati actum progrediatur. Est enim originale peccatum *lex captivans sub lege peccati.* Rom. VII. 23. & *arbor mala, quæ non potest non ferre fructus malos.* Matth. VII. 18. & *radix germinans sel & amaritudinem.* Deut. XXIX. 18. Quam insitam habituali peccato propensionem auferri, citra gratiam, tam impossibile est, quam fieri ne-



quit, ut angeli aliquando aut beati citra malitiam alicunde contractam, ablatâ naturali ad bonos actus propensione, bonum actuale, quoad speciem actus, omittant, neque studeant aliquando virtuti. III. Ostendimus quoque in antecedentibus, pœnarum atrocitatem actus quidem, ut Scholastici vocant, libidinosos, quippe qui naturâ suâ cum dolore, eoque intenso, consistere nequeunt, reprimere, sed irascibiles, ut impatientiam, invidiam, blasphemiam, & similes provocare & efficere, neque dolorum intensiorem non-interruptam, sine ullâ mitigationis spe perseverantem, cum abstinentiâ ab iracundo affectu, à livore & contumeliâ, citra concursum peculiaris gratiæ, consistere posse. Qui ex fidelium numero in præsentî seculo diras, easque concatenatâ inter se serie coherentes, calamitates perpetiuntur, ab impatientiâ sibi, nisi per gratiam, efficaciter ipsis assistentem, temperare non possunt: quomodo igitur poterunt damnati, qui majori longè cruciatu in quodvis impatientiæ genus aguntur? IV. Quantumvis etiam fieri pœnarum atrocitate possit, ut ab actibus vitiorum externis, velut à blasphemîâ oris, abstineant damnati, non tamen eadem facilitate abstinere ab actibus eorundem affectuum internis, velut animi tabescentis invidiâ & livore, quo fiet, ut, licet os atque lingua damnatorum à maledicendi loquacitate reprimantur, non tamen auferatur dentibus furor stridendi, oculis sese distorquendi, animo cum rabie quadam effervescenti. Quæ tamen vitia, licet oculorum aciem usumque effugiant, verum tamen nominis & actualia peccata esse, nemo inficiatur. V. Denique ipsam peccatorum istorum actualium omissionem, deficientem legitimo fine, qui est, ut legi atque voluntati DEI satisfiat, cum è contra damnatus idèd omittat, quia vi pœnarum cogitur, non omissurus, si vel pœnis non subjaceret, vel ab iisdem liberaretur, peccatum actuale esse, suo loco monuimus.

CI. Argumentum decimum tertium, §. LIII. ita firmatum est, ut non facile elidi ullo impetu possit. Si quæ tamen sunt, quæ ad illustrationem ejus facere videbuntur, de iis dicemus in responsione ad argumentum decimum quartum, in contrariam à nobis sententiam adductum.

CII. Eiusdem roboris est argumentum decimum quartum, à stri-

fructore de  
Gerhardi  
Inf. §. 71.  
rum frig  
nari de  
CIII. N  
fermalium c  
bis supra p  
cetero cont  
re. Quore  
hanc propo  
demque se  
tendit e, qui  
Quia tunc n  
erunt. No  
vitus extra  
si aut: ad  
la: turbat  
hic est, in  
riores tenebr  
est enim,  
habitat DE  
in peccate,  
vita est.  
ti exteriores  
non hic. S  
DEUM per  
disimuland  
hic multi per  
ut velint eun  
est: super  
longatio  
& volunta  
vio DEI, q  
tur & turba  
nunquam m



stridore dentium peticum, quod idem auctoritate duntaxat Doct. Gerhardi, eximii Ecclesiæ nostræ Patris, iuvabimus; qui loco de Inf. §. 71. *Verum stridorem dentium, ait, in inferno esse statuunt, qui verum frigus illi attribuunt; sed quidam ex veteribus rectius metaphorice exponunt de livore ac furore damnatorum.*

CIII. Nec minorem concludendi vim obtinet tenebrarum infernalium consideratio, quæ argumento decimo quinto locum nobis supra præstitit; quippe quam & Scholastici Doctores, qui de cætero contrariam nobis tuentur opinionem, haud obscurè sensere. Quorum promachus, Petrus Lombardus, Dist. L. Artic. II. hanc proponit quæstionem: *Quare dicuntur tenebræ exteriores? eandemque sequentem in modum resolvit: Hic quari potest, quare illæ tenebræ, quibus involventur mali in gehennâ, dicuntur tenebræ exteriores? Quia tunc mali penitus extra lucem corporalem & spiritualem, scilicet Deum, erunt. Nunc enim, etsi patiantur tenebras in cæcitate mentis, non tamen penitus extra lucem DEI sunt, nec corporali luce privantur. De hoc Augustinus sic ait: (ad marginem notatur locus: super Psalm. VI. ad verba illa: turbatus est à furore oculus meus:) Ira DEI & in iudicio erit, & hic est, in cæcitate mentis, cum dantur mali in reprobum sensum. Ibi exteriores tenebræ erunt, quia tunc peccatores penitus erunt extra DEUM. Quid est enim, penitus esse extra DEUM, nisi esse in summâ cæcitate? Siquidem habitat DEUS lucem inaccessibilem. Hæ autem tenebræ hic jam incipiunt in peccante, cum ab interiori luce DEI secluditur; sed non penitus, dum in hac vitâ est. (Hactenus Augustinus.) Ecce, quare ibi peccator dicitur pati exteriores tenebras, & non hic? quia ibi secluditur penitus à luce DEI, quod non hic. Sed quomodo intelligenda est illa seclusio? An quod non videbunt DEUM per speciem? Sed nec aliquis hic videt DEUM per speciem. An per dissimilitudinem, quam facit peccatum inter DEUM & hominem? Sed & hic multi per gravia peccata elongantur à DEO. An quia DEUM odium, ita, ut velint eum non esse? Sed & hic multi DEUM oderunt, de quibus scriptum est: superbia eorum, qui te oderunt, ascendit semper. Quæ est ergo illa elongatio? Sanè exteriores tenebræ intelligi possunt, quadam malignitas odii & voluntatis, quæ tunc excrescet in mentibus reproborum; & quadam oblivio DEI, quia tormentorum interiorum & exteriorum doloribus aded afficientur & turbabuntur, ut ab illis ad cogitandum aliquid de DEO vix vel raro vel nunquam mentem revocent. Ut, qui nimio premuntur pendere, aded stupe-*

pe-



pesunt & turbantur, ut interim in aliam cogitationem se non extendant; sed illuc tendit impetus cogitationis, ubi sentitur vis doloris. Sed in hac vitâ nullus adeo malus est, ut penitus secludatur à cogitatione DEI, quia nec perdit appetitum beatitudinis, & quendam boni amorem, quem naturaliter habet rationalis creatura. Illas autem exteriores & profundissimas tenebras reprobos perpeffuros post iudicium, dicit Augustinus, opponens de illo divite, qui in inferno positus, elevans oculos, vidit Abraam & in sinu ejus Lazarum, cujus comparatione coactus est, profiteri mala sua, usque adeo, ut & fratres ab his, roget premoneri. Quod ante iudicium factum legitur, sed post iudicium in profundioribus tenebris erunt impii, ubi nullam DEI lucem videbunt, cui confiteantur. Vides, tenebras exteriores Magistro, utrumque tenebrarum genus, corporalium & spiritualium complecti, & tenebras spirituales exponi partim per odii & voluntatis malignitatem, quâ impios hujus vitæ superaturi sint, partim per oblivionem DEI, à tormentorum atrocitate effectam; quæ certè actualia sunt peccata. Quamquam, utrum pœnarum magnitudine ita turbari queant, ut nulla in eis amplius sit cogitatio de DEO, suo loco datâ operâ disputabimus. Neque deserunt præceptorem, Lombardum, discipuli. Eust. Bonaventura, in damnatis tenebras spirituales fore quoad actum cognoscendi & memorandi: Albertus Magnus, extra DEUM futuros damnatos; quia in nullo consentient ei, sed quoad dominium tamen non possunt effugere ipsum; & odio habituros DEUM, propugnat: Henricus verò Gorichem magistri vestigiis pressè insistit: *Queritur, cur mali dicuntur esse in tenebris exterioribus? respondetur, quod hoc primò dicitur, quod penitus erunt à visione exclusi, tum propter malitiam voluntatis, tum propter oblivionem, quam in eis causabit gravitas tormentorum. Ante iudicium tamen non tam profundas pœnas patientur, sicut post iudicium.*

CIV. Argumenta cœtera, quæ §. LVI. & seqq. subjecta sunt, contra impugnationes quascunque firmiter munita esse arbitramur, ut non opus sit, otiosam eorundem repetitionem hic instituire. Expectamus potius, quibus machinis hæc propugnacula concussuri sint, quorum animo contraria sedet sententia.

CV. Cum igitur hætenus solido fundamento sententiam, damnatos peccare agentem, superstruxerimus, id unum restat, ut diversæ à nobis opinionis fulcris nervos incidamus, & quâ parte illa

Horatius  
victoriam  
CVI.  
entia  
nis  
fulcrum  
cari  
rimo  
pauca  
Divina  
non  
do  
si  
competit  
Id  
ira  
rent  
tudinis  
vimus  
omni  
que  
cur  
peccat  
actu  
nani  
egimus  
Iurem  
Etum  
tur  
quem  
bapti  
Christi  
rum  
mnatoru  
riaci  
tuzur



illa vacillent, quæ sub veri specie fallant, ad indubitam veritatem victoriam conciliandam, demonstramus.

CVI. Ad primum igitur argumentum respondemus, I. Sapientie liber Apocryphus, neque in quaestionibus fidei aut religionis ulla ejus est auctoritas, nisi sanctorum librorum testimonio fulciatur. II. Pœnitentia duplex est, vera, quæ est agnitio peccati & timor judicii Divini, ortus ex ipsius peccati sceleritate, quod pœnitens idè detestatur, quia in se turpe est, & quia voluntati Divinæ congruit, ne peccemus; & talis pœnitentia in damnatos non cadit: vel spuria, quæ est detestatio peccati, orta tantummodo ex suppliciorum gravitate, conjuncta cum proposito peccandi, si tolleretur ab eo pœna; & hæc pœnitentia damnatis quidem competit, sed reipsâ peccatum est, voluntati quippe DEI adversa. Id quod III. agnoscit ipse Bonaventura, cum ad hoc argumentum ita respondet: *Ad illud, quod objicitur in contrarium, quod habent pœnitentiam, dicendum, quod verum est. Sed illa pœnitentia est stimulus pœnitentis, non correctio voluntatis.* (Ex Augustino, quem supra allegavimus, §. IV.) *Unde si daretur libertas peccandi omnino, ut separaretur omnino impunitas, dico, quod peccarent. Sed si deberent ita puniri, pro aliis, quæ facerent, sicut pro his, quæ fecerunt, nunquam vellent peccare.* Fallitur autem Bonaventura, cum existimat, salvari hac responsione peccatum damnatorum habituale, excludi autem actuale: nam actu pœnitere pœnitentiâ spuriam & DEI voluntati refragante, est actu peccare; ut taceam aliis etiam peccatis actualibus contaminari infernales cives, de quibus subinde in præsentis tractatione agimus. IV. Pœnitentia medium est impetrandi gratiam & salutem, ad hanc unicè vitam, ex liberrimâ DEI dispositione, adstrictum: in alterâ vitâ ex parte damnatorum gratiæ janua clauditur, neque pœnitentia, si vel maximè vera esset, DEO placeret: quemadmodum bene non ageret, ex beatis, qui in alterâ vitâ vel baptizari cuperet, vel credere, remissa sibi esse, propter meritum Christi, quibus tamen obnoxius non est, peccata, quorum mediocrum effectus ad hanc unicè spectant vitam. V. Pœnitentia damnatorum de commissis in præsentis vitâ criminibus, cum pertinaci peccandi voluntate in futurum, consistere potest. Contemuntur enim & agnoscunt stultitiam suam, quod præteritis hujus



vitæ peccatis tantos sibi cruciatus attraxerint : pergunt verò subinde peccare, quia vident, nihil sibi emolumenti ex pœnitentiâ illâ accedere, & præterea pœnarum atrocitate quotidie irritantur. Quam in rem VI. luculentissima addemus patrum suffragia. D. Cæc. Cyprianus, martyr, Serm. de Ascens. Chr. interprete Erasmo Roterodamo, p. 471. *Immortales miseri vivent inter incendia, & inconsumentibiles flammæ nudum corpus allambent. Ardebit purpuratus dives, nec erit, qui estuanti linguæ stillam aquæ infundat. In proprio adipe fricta libidines bullient & inter sartagine flammæas miserabilia corpora cremabuntur, & omni tormento atrocius desperatio damnatos affliget. Non miserebitur ultra DEUS, neque tunc audiet pœnitentes; sera erit illa confessio, & cum clausa fuerit janua, frustra carentes oleo acclamabunt exclusi. Nullum ibi refrigerium, nullum remedium: semel Christus descendit ad inferos, ulterius non descendet, non ultra videbunt DEUM in tenebris sigillati, irregressibilis erit illa sententia & immutabile iudicium, & stabit damnationis huius immobile constitutum.* Jo. Chryostomus, Paræn. Prior. ad Theodorum lapsum, T. V. Op. p. 978. *Quamdiu hic sumus, etiamsi peccamus decies millies, semper erit spei locus, omnia dabit ablueri scelera dignam exhibentibus pœnitentiam. Ceterum, si quando hinc abierimus, nondum consecuti vehementissimam pœnitentiam, manebit nos quiddam acerbius. Redeamus itaq; ad frugem meliorem, moneo, dum hic degimus, & agnoscamus Dominum, sicut agnoscere fas est. Etenim non est, cur alibi speremus pœnitentiam, in inferno constituti, quo in loco pharmacum hoc infirmum est; hoc autem seculo, etiam in extremâ senectâ impositum, miram vim præ se fert. Dionysius Carthusianus, ad Sapient. V. Pœnitebunt se peccasse, non in quantum peccata sunt offensiva & inhonorativa DEI & sinceritati virtutum contraria, sed in quantum sunt eis tanta miseria causa: non ex zelo iustitiæ, sed ex servili tantarum pœnarum timore & ex amore privato ac improbo sui, quo adversa refugient.*

CVII. Ad argumentum secundum respondemus, I. Patrum auctoritatem exiguum esse, ubi reclamation Scriptura. II. Paucioribus Patribus opponi posse plures, de quibus S. XLIX. Quibus nunc III. addimus Cyrillum Alexandrinum, lib. XIX. in Levit. Tom. I. p. 757. *Hoc est, quod nos Scripturæ huius locus, paucis sermonibus comprehensus edocuit, ut sciamus, multo esse gravius, accipere peccatum & habere, ac secum ad inferna deferre, quam in præsentem pœnas dare commisi.*

IV.

IV. Verum  
penarum à  
num est, fer  
patientiam  
actualis,  
bitualis. Sed  
concedit B  
S. IV. ampli  
lior, actio  
ationes tam  
omni actio  
trare possent  
patet, suffic

CIX.

nihil appe  
sum, sed n  
sunt sub bo  
est vitâ iuc  
II. conce  
in damnati  
magnitudin  
attamen  
aliter affic  
impatiens  
tem quidem  
conspicere  
illa bona in  
gumenti p  
bonum est  
ctione vera  
Si enim per  
sit intelled  
filiario &  
quod, ref  
ret apper  
vit, qui in



IV. Verum est, quod Augustinus scribit, ferissimas bestias dolore pœnarum à maximis voluptatibus abstinere: sed nec minus verum est, ferissimas bestias dolore pœnarum in furem agi & impatientiam; quæ de homine prædicata peccata esse, & ea quidem actualia, nemo ignorat. V. In enchiridio Augustinus, non habitualia, sed actualia tantum peccata damnatorum inficiatur, ceu contendit Bonaventura, cum toto Scholasticorum grege; & supra §.IV. amplius expositum est. VI. Prosper Aquitanicus, aut fallitur, actionum omnium privationem damnatis adscribendo, aut actiones tantum libidinosas intelligit. Et si vel maximè damnati omni actione carerent, tamen omissionis peccatum actuale perpetrare possent. Quod ad tuendam sententiam nostram, ut ex se patet, sufficeret.

CIIX. Ad tertium argumentum respondemus, I. concedendo, nihil appeti à voluntate, nisi sub formâ quadam boni apprehensum, sed negando, quod scelera & peccata damnatorum non possint sub bonitatis specie, in primis vindictæ cupidine, quæ bonum est vitâ jucundius ipsâ, intellectui ipsorum repræsentari. Quod II. concedit ipse Bonaventura, quæst. III. Respons. ad Art. I. *Et si in damnatis aliquo modo remittantur affectiones libidinosæ propter pœnarum magnitudinem, illæ, inquam, affectiones, quæ habent annexam delectationem, attamen affectiones, in quibus est pœnalitas, vigorantur. Unde si cessat actualiter affectus luxuriandi & dominandi, tamen intenditur affectus sive furor impatientiæ & livor invidiæ.* Quod quid aliud est, quam, voluntatem quidem non appetere luxuriam, quia nullam in pœnis ejus conspicere possit bonitatem, appetere tamen impatientiam, quia illa bona in ipsis etiam pœnis videatur voluntati? III. Major argumenti propositio: Quicquid à voluntate appetitur, id vel in se bonum est, vel speciem habet bonitatis; non nisi cum hac restrictione vera est: si intellectus judicium non est prorsus corruptum. Si enim per furem vel quamcunque aliam causam interceptum sit intellectus judicium, mirum non est, voluntatem quoque, consiliario & oculo suo destitutam, cæco impetu ferri & id appetere, quod, rectè se habens, aut non omninò impedita, prorsus non foret appetitura. Quemadmodum canis ex furore in lapidem sævit, qui in ipsum est projectus, projicientis oblitus. Jam autem



ex atrocitate pœnarum iudicium intellectus lædi, aliquando etiam in furorem quendam converti, dubium nullum est. Quo tamen casu scelera in furore patrata scelera esse non desinunt, cum furorem is sibi malitiosè contraxerit, qui scelera perpetravit.

CIX. Ad argumentum quartum, quod majori vi concludere videtur, respondemus, I. Per instantiam ab habituali peccato desumptam. Si enim quodlibet peccatum infinitam meretur pœnam, & verò eujuslibet diei atque momenti peccatum habituale, sit veri nominis peccatum, sequetur, innumerabilium dierum peccata habitualia innumerabiles promereri mortes, & infinitos infernos. Hoc autem Bonaventuræ absurdum est; consequentia igitur sine dubio vacillat. II. Alia depromitur instantia à peccatis actualibus in hoc seculo mundoque commissis, quæ licet innumera sæpe fuerint, nec pœnitentiâ intercedente remissa, & verò quodlibet eorum, fatente Bonaventurâ, æternam mortem meruerit, non tamen nisi unus infernus, & una mors æterna illa insequitur. Cur igitur multiplicata in inferno peccata majorem infernorum, & æternarum, ut ita loquamur, mortium, copiam inducent? III. Distinguendum igitur est inter peccatorum pœnam essentialem & accidentalem. Peccatorum multitudo & atrocitas pœnarum quidem gradus adauget, non pœnam ipsam, in essentiâ quasi suâ spectatam; sicut secundum Bonaventuram plura bona opera, quæ fecit Abraham, non plures meruere cœlos, quam meruit unum alterumque opus fixi ad dextram Christi latronis, quamquam majoribus ille procul dubio, quam hic, in cœlesti gloriâ præmiis remunerabitur. Non autem absurdum est, in ipso etiam infernali regno pœnas vel augmenta capere vel decrementa: sicut ex nonnullorum sententiâ, oratione pro defunctis, promiscuè omnibus in veteri Ecclesiâ fusâ, juvabantur damnati, *ad qualemcunque requiem impetrandam, propitiandum iudicem, levandas animas, supplicium leve faciendum, ne tanta, quanta pati digni sunt, patiantur*; quod è Pontificiis quamplurimi luculentius docent, ceu ostendit Theologus Ecclesiæ nostræ excellentissimus, Doct. Dorscheus, lib. I. Theol. Zachar. c. VI. §. 71. p. 69. IV. Hoc ipso, quod perpetuò peccant damnati, perpetuas, non necessariò graviores, sibi attrahunt pœnas, ceu §. LIX, ex gravissimis partis Ro-



manæ, Calvinianæ & Lutheranæ Theologis docuimus. Aternitas enim cruciatuum infernalium, seu interminabilis eorundem duratio, sicut in se accidens est pœnæ peccatis debitæ, & ab eâ, quod exemplo Christi, infernalem pœnam sine duratione istâ verè sustinentis, patet, separabilis: ita interminabili peccandî duratione necessariò accersitur, quemadmodum & in præsentî seculo, quousque quis peccat, eousque punitur, pœnâ quoad se semper eadem manente, variatâ duntaxat secundum temporis tractum ex tractu temporis, quo quis peccavit. Id quod V. analogia mortis æternæ cum temporali clarissimè docet. Sicut enim latro, qui ducentos innocenter sustulit homines & mastrandî hanc artem per totam longamque vitam exercuit, non aliâ, quoad rem ipsam, morte perit, ac is, qui semel tantum & succedente statim facti pœnitentiâ innoxium effudit sanguinem; utriusque enim vita violentâ ratione à corpore divellitur; accidentia verò mortis, gradusque diversi sunt, ut is lentâ cruce è medio tollatur, membrumque quodlibet singulatim prius moriatur, quam integer homo; huic verò infelix gladius uno quasi momento animam à corpore disjiciat: ita damnati omnes unâ moriuntur morte æternâ, quæ tamen gravior incumbit iis, qui gravioribus sceleribus Divinum numen in ipsis etiam pœnis irritant, quam qui à flagitiorum quorumvis excessu, quantum quidem misera isthæc vita patitur, sibi temperant. VI. Quantumlibet omne peccatum in se grave sit, nullumque tam leve, quin infernalem pœnam, si ex *ἀνεπίβοιο* judicare velit DEUS, mereatur, in ipsâ tamen gravitatis ratione immensum esse discrimen & unum infinitis quasi parafangis transcendere alterum, tum ipsum judicium Dei uni longè vehementius quam alteri irascentis, tum pœnarum in hoc ipso judicio constituta diversitas, quam humana etiam tribunalia non immeritò imitantur, tum naturale dictamen, quod modo peccatum, velut incestum cum matre, aut consuetudinem cum bestîâ, ob insitam ei atrocitatem horret, modo vilipendit aut etiam amat, tum denique consensus omnium rectè sentientium, indubitatum reddunt. Jam verò peccata inferorum longè infra malitiam peccatorum hujus seculi subsidere, prorsus negari nequit. Peccata enim damnatorum non ex pleno, sed per cruciatum corrupto



mentis iudicio, velut à furiosis, oriuntur, cum in præfenti feculo plenâ liberâque voluntate peccemus. Sicut igitur infanus, quæ in <sup>peccatis</sup> peccatis facit, jure quidem ei imputantur, sed tamen ad eam atrocitatis æstimationem non adscendunt, ad quam perveniunt scele-  
ra, ab eo patrata, qui rectè ratione utitur: Ita damnatus verè quidem peccat, sed peccatum tamen ejus nequaquam tanti æsti-  
matur, ac ejus est, qui in præfenti mundo, sensibus suis sine obsta-  
culo fruens, peccatis sese tradidit. Præterea peccata damnato-  
rum coerceri atque sufflaminari nullâ ratione queunt, sed ex in-  
virabili necessitate, licet sponte contractâ, procedunt, cum vitari  
in præfenti feculo per gratiam possint & intermitteri. Sicut igitur  
longè gravius offenditur rex, cum ab eo convitiis proscinditur,  
quem omni favore & benevolentia regiâ complectebatur, quam  
cum clamore convitioque petulanter jactatur eorum, quos vel  
ad publicas & intolerabiliores ipsâ morte operas, aut ad turpe  
moriendi genus condemnavit: Ita severius irascitur DEUS ho-  
mini in præfenti feculo peccanti, quem à peccatis infinitis amoris  
funibus, ut Scriptura loquitur, retrahere, quem à peccatis sibi de-  
vincire beneficiis adlaborabat, quam damnato, qui destitutus om-  
ni gratiâ, à peccato ex se desistere non potest, sed quotidianis  
pœnarum incrementis ad contumelias Divino Numini inferen-  
das quasi sollicitatur. Quæ cum vera sint, causa nulla est, cur hæc  
peccata, graviolem subinde in inferno mereri pœnam, debeant di-  
ci. Denique, VII. quamquam falsum sit, aliquod peccatum,  
quocunque in hominis statu, pœnæ meritorium non esse, quod  
contendit Lombardus, absurdum tamen non est, aliquod pecca-  
tum, in ipso pœnæ fastigio constitutum, majorem pœnam non  
accumulare, sed vel pœnam merendo continuare, vel ipsam sibi  
pœnæ loco esse. Quâ de re, G. Calixtus, virum longè doctissi-  
mum, audiemus, Tractatu de Bon. Perf. Summ. p. 47. ita loquen-  
tem: *Cum lex de DEO amando, & ne vel ipse vel proximus odio habeatur, æterna sit, nec obligare unquam desinat, quicquid à voluntate sive in hac vitâ, sive in alterâ, contrarium committitur, peccatum est. Quod tamen in alterâ committitur, ita peccatum est, ut pœnam non augeat. Sic enim in ultimo ter-  
mino non essent. Nempe quemadmodum amor ille maximus & rectissima voluntas beatorum, non est meritum sive medium, quo amplior gloria acqui-*



ratur, sed premium: ita quoque odium & perversissima voluntas damnatorum non est meritum acrioris & ulterioris pœnae, sed ipsa sibi est supplicium.

CX. Ad argumentum quintum Respondemus, I. Si omnem simpliciter inordinationem in fine mundi tolli necesse est, tollenda erit & ipsa pœna, quod absurdum. Pœna enim est malum privans bonum creaturæ, sive accipiatur bonum creaturæ aliquid creatum, sicut cœcitas privat visum, sive sit bonum increatum, sicut per carentiam visionis Divinæ tollitur creaturæ bonum increatum; definiente Thomâ, I. Qu. XLIX. Art. VI. ubi quæritur: *Utrum habeat plus de ratione mali pœna, quam culpa?* Jam verò, quod malum est, quod privatio boni est, & ejus boni, quod debebat adesse, id inordinatum esse, ex se intelligitur. Nempe omnis inordinatio duplex est; una naturalis, cum malum deflectit ab ordine atque perfectione naturæ; altera moralis, cum deviat malum ab ordine & perfectione legis: Illud pœnæ dicitur, hoc culpæ. Ubi ergo perfectus est ordo & nihil prorsus inordinatum relinquitur, ibi malum pœnæ æquè abrogari necesse est, ac malum culpæ, cum de inordinatione utrumque æquè participet. II. Si verò urgeatur: inordinationem saltem moralem olim penitus abolendam esse, tum fundamentum hujus restrictionis immotum adducendum est. Nuda enim assertio eâ facilitate rejicitur, quâ prætenditur. Jam verò III. argumentum huic rei sufficiens nequaquam præbet amor ordinis in DEO. Nam primò is eadem inclinatione ad removendam naturalem inordinationem, quâ ad moralem, tendit; deinde non futuri seculi proprius est, sed in omnia sese tempora diffundit, cum DEO sit naturalis, adeoque nulla nobis suppetat ratio, cur propter amorem ordinis DEO proprium in fine demum mundi in ordinem restitui omnia necesse sit, non ante finem ejusdem. Quinimò si DEO placuisset, (potuisset autem omninò placere, quia nihil implicat) ut mundus in hoc statu, quali nunc est, in æternum duraret, æterna fuisset, ut sic loquamur, rerum omnium, qualis hodie est, confusio, nec tamen isthac suâ proprietate DEUS excidisset, quâ ordinem amat, eundemque, quantum in se est, it promotum. IV. Si amor ordinis in DEO inordinationem moralem omnem olim extinguit, extinguet & inordinationem Bonav. habitualem. Æquè enim ab ordine legis Divinæ exorbitat, actu facere peccatum ac  
ha-



habitu. Utrumque voluntati DEI contrarium est, utrumque  
 ejus in nos iram provocat. Manet in damnatis consensu omnium  
 quædam inordinatio negativa, quâ id non agunt, quod secun-  
 dum legem agere deberent. At inordinatio hæc a mori ordinis  
 in DEO ad versa est, qui dum ordinem restituit, non tantum con-  
 fusionem removet, sed contrarium confusionis, actionem secun-  
 dum legem, tanquam ordinem Divinitus constitutum, positivè  
 introducit. Quod si de damnatis verum esset, non tantum ma-  
 lum omitterent, verum & bonum actu agerent; quod apertè fal-  
 sum. V. Distinguendum igitur est inter ordinem rerum omnium  
 universalem & quarundam particularem. Is in gubernatione &  
 intuitu universi occupatur, quod licet nostrâ opinione, si particu-  
 lares actiones respiciamus, haud rarò sursum atque deorsum ver-  
 titur, in fine tamen atque eventu ad pulcherrimum ordinem ter-  
 minatur. Atque hujus tam admirandi, tam oculis nostris stu-  
 pendi ordinis, DEUS auctor est ac amator. Hic verò ad peculia-  
 res quasvis actiones spectat & omnem ex iis perturbationem de-  
 pellit. Hunc verò DEUS idèò ubique promovere & in effectum  
 deducere nequit, quia ordo universi, ad quem particulares inor-  
 dinationes, perinde ut ad victoriam bellicam & quietem eandem  
 insequentem, conflictus & commissiones armorum, conferunt,  
 post hominis lapsum sine istius ordinis perturbatione, non potest  
 impetrari & consistere. Augustinus, libro I. de Ordine, cap. I.  
*Si quis tam minutum cerneret, ut in vermiculato pavimento, nihil ultra unius  
 tessellæ modulum acies ejus valeret ambire, & vituperaret artificem, velut or-  
 dinationis & compositionis ignarum, eò quod varietatem lapillorum perturba-  
 tam putaret, à quo illa emblemata, in unius pulchritudinis faciem congruen-  
 tia, simul cerni collustrarique non possent? Nihil enim magis minus eruditus  
 hominibus accidit, qui universalium rerum coaptationem atque concentum im-  
 becillâ mente complecti & considerare non valentes, si quid eos offenderit, quia  
 sua cogitationi magnum est, magnam rebus putant inherere sæditatem. Cujus  
 erroris maxima causa est, quod homo sibi ipsi est incognitus. Qui tamen, ut se  
 noscat, magnâ opus habet consuetudine recedendi à sensibus, & animum in se-  
 ipsum colligendi atque in seipso retinendi. Quod ij tantum assequuntur, qui  
 plagas quasdam opinionum, quas vitæ quotidiana cursus infligit, aut so-  
 litudine cerè inurunt, aut liberalibus medicantur animi sui disciplinis.*

VI. Mala or  
 cinere, c. V.  
 Trigetius  
 devius non si  
 enim pater  
 & non dicit  
 nam, quid ce  
 & mala dicit  
 ab eo diligi. Ex  
 si ille, quid re  
 mala, nec eb  
 eò ordinem m  
 la qui possum  
 malorum or  
 tur, ut & la  
 sunt mala, &  
 enim diligit  
 sine dispo  
 eò quæstion  
 ergo malum  
 ordine, ma  
 morem or  
 que sunt  
 grassentur  
 tuo darent  
 sic commisi  
 quoque, a  
 niendos,  
 ferno & o  
 stitæ Div  
 peccati  
 lib. IX. E  
 Terra mis  
 nu horru  
 colligit;



VI. Mala ordini universali non contrariari, sed ad eundem pertinere, c. VII. Augustinus datâ operâ disputat. Cum enim Trigetius Licentio objecisset: *Utinam ab eo, quem defendis, ordine, devius non sis, non tantâ in DEUM feraris, ut mitius dicam, incuriâ. Quid enim potuit dici magis impium, quam etiam mala ordine contineri? Certè enim DEUS amat ordinem; Licentius respondet: Verè amat, ab ipso manat & cum ipso est. Et si quid potest de re tantâ convenientius dici, cogita quâso ipse tecum. Quid cogitem, inquit Trigetius? Accipio prorsus, quod dicis. Certè enim & mala dixisti ordine contineri, & ipsum ordinem manare à summo DEO, atq; ab eo diligi. Ex quo sequitur, ut & mala sint à summo Deo & mala Deus diligit. At ille, quid respondendum esset, quærens, in hæc verba erumpit. Non diligit Deus mala, nec ob aliud, quam quia ordinis non est, ut DEUS mala diligit. Et idè ordinem multum diligit, quia per eum non diligit mala. At verò ipsa mala qui possunt non esse in ordine, cum DEUS illa non diligit? Nam iste ipse est malorum ordo, ut non diligantur à DEO. An parvus rerum ordo tibi videtur, ut & bona DEUS diligit & non diligit mala? Ita nec præter ordinem sunt mala, quæ non diligit DEUS, & ipsum tamen ordinem diligit: hoc ipsum enim diligit, diligere bona & non diligere mala, quod est magni ordinis & divinæ dispositionis. Acutè certè, sed rectè, quod libro II. c. VII. cum eâ quæstione conciliat: quomodo ordo fuerit, cum malum non esset? Si ergo malum in ipso ordine comprehenditur, falsum est, reducto ordine, malum tolli & extirpari. VII. Concedo etiam hoc, a morem ordinis in DEO, non posse tolerare, ut peccata vitiaque, quæ sunt crimina violatæ Divinæ majestatis, impunè perpetuò grassentur; posse tamen pati, ut justis suppliciis vindicata, perpetuò durent. Hic enim ordo DEI est, ut aut à peccato absistas, aut, si commiseris, pœnam subeas; qui, ut palam est, apud damnatos quoque, æternum quidem peccantes, sed idè etiam æternum puniendos, observatur. IX. Neque idè absurdum est, in inferno & ordinem simul esse & confusionem; illum respectu justitiæ Divinæ, peccatum permittentis & plecentis, hanc respectu peccati ipsius à lege Divinâ deviantis. Præclare Gregorius M. lib. IX. Exp. Mor. c. XXXIX. ad illum Hiobi locum, cap. X. 22. *Terra miseriæ & tenebrarum, ubi umbra mortis & nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat: quem de inferno ipse cum veteribus aliis intelligit; Mirum valde est, ait, quod dicitur: ubi nullus ordo. Neque enim**



omnipotens DEUS, qui mala benè punit, inordinata esse ullo modo vel tormenta permittit; quia ipsa quoque supplicia, quæ ex lance iustitiæ prodeunt, inferri sine ordine nequaquam possunt. Quomodo namque in suppliciis ordo non erit, dum damnatum quemque iuxta modum criminis, retributio sequitur ultionis? Hinc quippe scriptum est: potentes potenter tormenta patientur & fortioribus fortior instat cruciatio. Hinc in Babylonis damnatione dicitur: quantum exaltavit se & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum. Si igitur iuxta modum culpe pœna distinguitur, constat nimirum, quod in suppliciis ordo servatur. Et nisi tormentorum summam meritorum acta dirimerent, nequaquam iudex veniens dicturum se messoribus esse perhiberet: colligite primum Zizania & ligate ea in fasciculos ad comburendum. Si enim nullus in suppliciis ordo servabitur, cur comburenda zizania in fasciculos ligantur? Sed nimirum fasciculos ad comburendum ligare, est hos, qui æterno igni tradendi sunt, pares paribus sociare, ut quos similis culpa inquinat, par etiam pœna constringat, & qui nequaquam dispari iniquitate polluti sunt, nequaquam dispari tormento crucientur; quatenus simul damnatio conterat, quos simul elatio sublevat, quosque non dissimiliter dilatavit ambitio, non dissimilis angustet afflictio & par cruciet flamma supplicii, quos in igne luxurie par succendit flamma peccati. Sicut enim in domo patris mansiones multe sunt pro diversitate virtutis: sic damnatos diverso supplicio gehenna ignibus subicit disparilitas criminis. Quæ videlicet gehenna, quamvis cunctis una sit, non tamen cunctos unâ eademque qualitate succendit. Nam sicut uno sole omnes tangimur, nec tamen sub eo omnes uno ordine aestuamus, quia iuxta qualitatem corporis sentitur etiam pondus caloris: sic damnatis & una est gehenna, quæ afficit, & tamen non unâ omnes qualitate comburit, quia, quod hic agit dispar valetudo corporum, hoc illic exhibet dispar causa meritorum. Quomodo ergo nullus inesse ordo supplicii dicitur, in quibus profectò quisque iuxta modum culpe cruciatur? Sed sanctus vir, postquam umbram mortis intulit, quanta sit confusio in damnatorum mente, subjungit; quia ipsa quoque supplicia, quæ ordinata per iustitiam veniunt, ordinata procul dubio in corde morientium non sunt. Ut enim paulo superius diximus, dum damnatur quisque, foris flamma succenditur, intus cœcitatatis igne devoratur, atque in dolore positus, exterius interiusque confunditur, ut suâ deterius confusione crucietur. Repulsis ergo ordo in supplicio non erit, quia in eorum morte atrocius, ipsa confusio mentis sevit. Quam tamen mirâ potentiâ judicantis æquitas ordinat, ut pœna animam quasi inordinata confundat. Hæc ille egregiè. Quamquam

quam locu  
preterur ce  
D. Seb. Sch  
IX. qui ca  
& muna  
illo non q  
etiam maje  
pedibus suis  
proflus rat  
CXI.  
damnatos  
te conjun  
tera, que  
pote invi  
rem ipsu  
sentiente  
tur argu  
norunt, e  
ri; nihil  
mnatos, q  
stuale pec  
supplicio  
est: vel a  
dere, quip  
lam vero,  
in odio,  
quippe a  
Quamq  
stant, su  
est & mor  
& Cruc.  
atque  
fieri non  
hostem l  
contra su  
quos uox



quam locum de statu hominis post mortem simplici rectius interpretetur celeberrimus Theologus & Præceptor meus venerandus, D. Seb. Schmidius, in absolutissimo in Hiobum opere. Denique IX. quâ ratione ceteros inimicos suos Christus, utpote Satanam & mundum, sublaturus est, eâ quoque finem faciet peccati. At illos non quoad se, sed quantum ad vim salvatis nocendi, aut suæ etiam majestati impunè insultandi, extinguet. Hoc enim est: *pedibus suis subjicere*. I. Corinth. XV. 25. Ergo & peccatum eadem prorsus ratione.

CXI. Ad argumentum sextum respondemus, I. concedendo, damnatos non appetere fornicationem, aut alia, quæ cum voluptate conjuncta sunt, peccata: ex quo tamen nõ sequitur: ergo nec cætera, quæ libidinem aut voluptatem sibi connexam nõ habent, utpote invidiam, iracundiam, impatientiam & alia. Quam in rem ipsum paragrapho antecedente Bonaventuram, nobis consentientem, allegavimus. II. Si vel maximè totum concederetur argumentum: ergo damnati nulla appetunt peccata, quia norunt, brevem eorundem voluptatem æternis pœnis compensari; nihilominus tamen ex hoc ipso sequeretur, actu peccare damnatos, quia abstinere à vitiis, solummodo ob pœnæ metum, ætiale peccatum est, cum supponat propositum peccandi, si abesset suppliciorum formidandorum occasio. III. Delectatio duplex est: vel animi vel corporis. Hanc fatemur in damnatos non cadere, quippe cui è diametro adversi sunt infernales cruciatus. Illam verò, quamquam non veram, tamen apparentem in invidiâ, in odio, in ultione sui, quærere damnatos, absurdum non est, quippe ad quam pœnarum vehementiâ potius sollicitantur. IV. Quamquam hac ipsâ dementiâ, quâ animi sui delectationem affectant, supplicia potius sibi cumulant & augent. *Cæca enim malitia est & incircumspecta animi pravitas*, scribit S. Athanasius, Sermon. in Pass. & Cruc. Domini, p. 432. *ut quæ non intelligat, ipsam suas contra se manus acuire; veluti, si quis serpentem manu apprehendat, ut alteri injiciat, quod fieri non potest, quin ipse prius mordeatur: aut si quis ignem manu sumat, ut hostem ladat, interim non animadvertat, seipsum comburi. Ita ipsa malitia contra sui usurpatores militat, eosque, qui ipsam tenent, magis, quam illos, in quos noxam parant, consauciat.* Neque V. mirum hoc est, cum in



tenebris infernalibus ita damnatorum intellectus obscuretur & lædatur, ut officio suo rectè & sine intervallis fungi non possit, sed mens pœnarum atrocitate turbata eà in re delectationem & refrigerium capret, quæ suppliciorum potius augmenta conciliat & adfert. VI. Damnatorum cruciatus & dolores longè maximos fore & tantum non intolerabiles, haud diffitemur, sed eos tamen ita comparatos esse, ut meditationi nulli aut intellectu exercitio locum relinquunt, prorsus negamus, quam in rem epulonis exemplum illustri nobis documento est, ne de aliis dicamus argumentis, quæ suo loco adducemus. Denique VII. qui in præsentis seculo, ob scortandi aut furandi studium virgis cæsi aut molesto & diuturno carceri inclusi fuere; nec non & illi, qui in operis publicis à præsentis lictore perpetuis flagris à peccandi licentiâ abstrahuntur; ad palatum tamen suum subinde redeunt, nec veteris facile artificii, odii præterea & invidiâ turgidi, obliviscuntur: Quid igitur impedit, quo minus & in infernali ergastulo utrumque simul consistere possit?

CXII. Ad argumentum septimum respondemus, I. Distinguendo inter finem infligendæ pœnæ primarium & secundarium. Primarius pœnarum finis non est, delictis terminum, modumque statuere, ne imposterum rempublic. turbent & publicæ honestati repagula objiciant: sed justitiæ satisfacere & lædendi per peccata petulantiam, quod malum est, malo æquali alio, nempe supplicio compensare. Atque hunc finem sufficit assequi iudicem: sicut & DEUS eundem assequitur in damnatis, quantumlibet illi peccent. Peccatum enim & pœna peccati simul possunt consistere. At secundarius pœnarum finis est, emendare peccantem, aliosque detertere à peccatis, id est, peccandi, quantum fieri potest, finem facere, iudici cumprimis temporali, quin & DEO, in præsentis seculo, ubi per gratiam peccata deponi possunt, intentus: sed qui neque simpliciter ad *re d'ency* pœnarum necessarius est, neque etiam in inferno, ubi peccata exuere non licet, & gratiæ locus nullus est, obtineri potest. Edidit equidem anno hujus seculi XLIX. Trajecti ad Rhenum, anonymus quidam, sub literis L. V. libellum, cui titulus est: Specimen refutationis Libri Crellii de Satisfactione Christi; Johanni Jacobo du Bois, Ultrajectinæ Gallo-  
Bel-



Belgicae Ecclesiae Pastori dedicatum, cujus unum opus, unus labor est, defendere: *Jus infligendae à DEO poenae inmiti non damno accepto, quâ tali, sed, partim absoluto DEI, in creaturas dominio, partim injuriæ ex delicto acceptæ, prout, si impunita transmitteretur, alia damna post se trahere possit.* Quod singulare & novum hominis Reformati *ἕνεκα*, perinde ut alia religionis Calvinianæ *φοβικὴ ἀνάσμουσα*, non aliam habet originem nisi absolutum voluntatis Divinæ & rerum atque actionum omnium intuitum antegrediens decretum. Quare de poenæ ratione & indole ita edisserit: *Is qui poenam infligit, non intendit, nisi per errorem gravissimum, malum ejus, qui punitur, sed primò terrorem & metum, deinde correctionem & conversionem ad meliorem frugem, ejus, qui punitur, & cæterorum, qui simili peccandi habitu tenentur.* Crellium, contra quem scribit, inculcat: *Gravissimè lapsus est, inquit, dum putat, poenam, etiam ex sua natura, respicere posse compensationem doloris, quem aliquis injuriâ affectus, percepit, & quem ex animo delet per vindictam.* Porro *finis poenarum, inquit, non est propriè satisfactio pro damno accepto per injuriam, sed propulsatio damni futuri, quod tamen ex priori injuriâ & damno per eam accepto, si impune transmitteretur, ad nos rediret.* Nego enim, *leges latae & poenas iis additas esse, nisi propter bonum aliquod, distinctum à poena nocentis.* Vanum est illud axioma, quod quibusdam in ore est: *fiat justitia & pereat mundus.* Item: *Is, qui peccavit, idè non punitur, quia peccavit.* Quæ si vera sunt, aut poenam non sentiunt damnati, aut non tam idè sentiunt, quia peccarunt, quam, nè vel ipsi amplius peccent, vel beati. Quod si propulsatio tantum damni moraliter consecuturi propriissimus poenæ finis est, quæ differentia relinquetur inter poenam Christi satisfactoriam & exemplarem Socinianorum? Poenam sensisset Eva, vi comminationis Divinæ falli nesciæ, æternam, si vel sola extitisset & peccasset, DEO non ex liberrimâ voluntate medicinam per Filium parante, & justissimè sensisset; quo tamen casu & exemplum exularet & correctio. Absolutum DEO in homines jus esse, nemo negat. At illud exerceri cum dispendio justitiæ nequit. Exerceretur verò, si quemquam, citra intuitum ad delicti antecedentis meritum, poenis addiceret, & ex merissimâ libertate tam graviter in innoxios animadverteret. Solum Servatoris nostri exemplum, solventis, quæ non rapuerat, & *εἰς ἕνδ' εἰς τῆς δ' ἰκαυοσ ὕψης* patientis, suffi-



ficienti documento est, peccata in se promereri pœnam illis proportionatam, citra ullum respectum ad exemplum & emendationem, & nisi compensatio peccati fiat per pœnam, condonationem ejus fieri nullam posse. Nam aliàs in proprium filium, si aboleri peccatum ex absoluto jure, aut exempli tantum causâ plesti potuisset, non tam crudelis, ut ita loquamur, fuisset DEUS pater; *cujus verò non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Rom. IIX. 32.

II. Falsa est propositio major in Alberti argumento: *Nulla culpa extenditur ultra sententiam condemnatoriam culpæ ejusdem.* Quoties enim adulter, quoties calumniator, quoties blasphemus ad morem suum redierunt, quamvis id, quo digni fuere, perpeffi supplicium? *Quoties canis revertitur ad suum vomitum & sus lota ad volutabrum luti?* II. Pet. II. 22.

III. Negatur consequentia: *Si judici terreno, delicta punienti, propositus est is finis, ut mediante pœnâ finem velit facere delicti, multo magis DEO, universali judici, convenit mediante pœnâ finem facere omnis delicti.* Ratio negationis hæc est: quia judex terrenus, ex præcepto Divino, quousque patet janua gratiæ, ita compensare delicta pœnis tenetur, ut tamen quemlibet, si fieri possit, emendet & Ecclesiæ atque spei vitæ æternæ, quâ exciderat, reddat. Hinc supplicia ei delictis ita attemperanda sunt, ut uterque finis, quo ad ejus fieri potest, obtineatur. At verò ad hoc utrumque idèò Deus in futuro seculo non obstringitur, quia in illo gratiæ suæ locum ampliorem esse noluit. Ubi verò gratia nulla est, ibi exulat emendatio, & alteri duntaxat fini, eique primario, qui est æqualis justitiæ compensatio, locus relinquitur. Id quod IV. manifesto exemplo lapsus nostri comprobatur. Lex quondam lata fuerat: *quo die ex arbore vetitâ comederis, morte morieris.* Comederat homo, insequabatur sententia: omni mortis & calamitatis genere in præsentis vitæ morieris, & in futuro seculo æterna. Qua sententia condemnatoria puniebatur præcedens quidem peccatum, ut tamen hoc non obstante, culpa extenderetur ultra latam sententiam & peccata infelix homo peccatis nihilominus cumularer. Nempe nulla lege tenebatur DEUS abolere funditus delicta, postquam homo sua sponte & suapte voluntate meruit malus esse. Ad quod V. hoc minus obligatur in futura vita, quo majori

sc-



scelerum præ Adamo & Evâ numero damnati, deteriorem vitæ suæ conditionem, non meliorem promerere.

CXIII. Ad argumentum octavum respondemus, I. Per distinctionem: Immutabile aliquid dicitur, dupliciter: vel in se & in radice simul, vel in se solum, non in radice. Quod Metaphysicî vocant necessarium vel simpliciter vel ex hypothesi. Immutabile in se & necessarium simpliciter est, hominem esse docilem, quia id ex naturâ hominis per se consequitur. Immutabile autem in se & mutabile in radice est, hominem doctum esse, cum doctè disputat. cum fieri potuerit, ut nunquam erudiretur doctrinâ. Jam verò ad id, ut aliquid laudem habeat & vituperium, sufficit, si mutabile fuit in radice, seu principio, etsi in consequenti deinde reddatur immutabile. Sic quamquam, quæ in ebrietate patramus, ex ignorantia, adeoque immutabiliter perpetremus, ea tamen ipsa à laude & vituperio ideò aliena non sunt, quia in nostrâ potestate fuerat ipsa ebrietas, ex quâ id, quod ex ebrietate sequitur, merito æstimatur. Limitatâ igitur majore propositione in secundo argumento: quicquid aliter sese habere nequit, in se simul & in radice seu causâ suâ, id non habet laudem vel vituperium; negatur minor. Quamquam enim voluntas damnatorum, dum sunt damnati, aliter sese habere & corrigi nequeat, causa tamen & principium, ex quo immutabilitas illa contracta est, aliter sese olim habere & corrigi potuit. Quod sufficit ad fundamentum laudi & vituperio præbendum. Si II. major propositio eousque extendatur: Quicquid, suppositâ certâ sed mutabili hypothesi, aliter sese habere nequit, id non habet laudem vel vituperium; tum evidens instantia est Alberto ipse dæmon, qui ante diem extremi judicii immutabiliter peccat, cujus tamen peccatum meritò vituperatur, fatente Alberto. III. Respondet ipse Albertus: *Ad aliud dicendum, quod licet corrigere non possit statum suæ confirmationis in malo, tamen quilibet actus singularis est sibi voluntarius, & ideò vituperatur.* Quemadmodum nec hodie post lapsum mutare possumus necessitatem peccandi, nobis adsistentem, cum simus servi peccati, & venundati sub peccatum, & tamen, quia quodlibet peccatum in particulari voluntarium est, justam reprehensionem effugere non potest. Quare IV. Joh. Cameroni, objicienti:

Num



Num ullum scelus eò gravius existimamus, quod Diabolicum vulgò appellamus? Atque hæc nomenclatura, non scelus modo, sed invidiam in scelere pertinaciam demonstrat; rectè respondet Jo. Episcopus, c. XVI. p. 306. Ita sanè est. Sed hoc ipsum scelus, hæc ipsa pertinacia, idcirco saltem gravissima censei potest, quia à liberâ Diabolorum voluntate, & ingratissimâ contra DEUM rebellionem, (longâ an brevî, quis dixerit?) ortum suum habet. Disertè enim Diabolus dicitur non perstitisse in veritate. Job. II X. 44. à principio peccare. I. Job. III. 8. peccasse. II. Petr. II. 4. non servasse suam originem vel principatum, sed domicilium suum reliquisse. Jud. 6. & similia. Absque hoc esset, non magis censenda forent facta ipsorum mala, si necessaria ea esse velis, punitione novâ digna, quam luporum, ursorum, aliarumque ferarum bestiarum facta, quando ad innoxia animalia, ipsosque aded homines, licet innocentissimos, optimosque, dilaniandum, aut naturæ quodam impetu, aut fame irave stimulatæ feruntur. Hoc solum superesset discrimen, quod Diaboli sciant, quod ea, quæ faciunt, DEO displiceant, & si ad legem exigantur, peccata sint materialiter, belluæ autem istud ignorent. Interea, quid ipse de Diabolo sentiam, an videlicet hodieque liberè adhuc, an necessariò peccent, non est necesse, à me hoc loco exponi. Sufficit jam ad solutionem argumenti, quod ea, quæ Diaboli nunc faciunt, rectè scelera censei possint, ex eo, quia sceleratâ & liberâ suâ voluntate, in principio DEO, Domino suo, rebellarunt, & peccatorum gravissimorum reos se fecerunt, seque ipsos in hanc, in quâ nunc versantur, conditionem propriâ suâ culpâ precipitarunt; sive conditio illa sit, quod voluntatem habeant prorsus determinatam ad volendum id tantum, quod DEO contrarium & invisum est: sive conditio illa talis sit, quod liberè nunc persistere velint in rebellionem suâ, & quod obsequium suum DEO ingratum, sibi inutile esse sciant, jamque norint, latam in se damnationis irrevocabilem sententiam, cujus executioni catenis caliginis constricti reserventur, graviolemque condemnationem non metuant, quicquid fecerint; idcirco, inquam, hoc tantum operam dare student, ut, quoad ipsis licet, DEO egrè faciant, perdantque secum, quicquid ille salvatum cupit. Hæc ille, quæ sententiam nostram egregiè illustrant.

CXIV. Ad argumentum nonum respondemus, I. Per illud argumentum: Ubi definit longanimitas Divina, ibi definit peccatum: at in futuro seculo. Ergo, concludi non tantum hoc: extinguendum tum penitus esse peccatum actuale, sed etiam: abolendum atque eradicandum originale atque habituale; cum  
utrum-



utrumque divinæ longanimitati, tanquam materia & fomes iræ & furoris Divini, objiciatur. Si enim justissimum Numen idè æternum tolerare peccatum actuale nequit, quia per id nomen ipsius contumeliâ afficitur & majestas Divina læditur: neque tolerare æternum poterit peccatum habituale. Nam & hoc majestati atque voluntati suæ adversum est, nomenque ipsius sacrosanctum ludibrio exponit, atque propterea, fatentibus illis, qui hoc argumentum proponunt, infinitam atque æternam pœnam, cum DEUM infinitum lædat, perinde, ut actuale peccatum, mereatur. Jam verò hi ipsi peccato habituali, voluntati pravæ & peccato, ut vocant, coercito, in inferno locum relinquunt; & nisi relinquerent, aut damnatos in bestias, bonitatis atque malitiæ moralis expertes, commutarent, aut in statum longè meliorem, in quo virtutibus operam locarent, quod absurdum, deponerent. Necessè igitur est, aut majorem aut minorem propositionem in proposito argumento falsam esse. II. Rectè autem negatur major propositio: ubi desinit longanimitas Divina, ibi desinit peccatum. Ratio negationis hæc est, quia peccatum non simpliciter objicitur longanimitati DEI, sed in quantum non punitum, seu, quatenus pœna ejusdem, quæ in momento statim facti peccati à DEO justè irrogari poterat, longo tempore differtur, hunc in finem, ut, si pœnitentiam agat homo, pœna condonetur, sin, augeatur. Est enim longanimitas attributum, ex justitiâ & misericordia seu benignitate quasi compositum, seu temperatum. Justitia peccatori destinata, debetque pœnam. Benignitas differt, ut corrigat. Ubi igitur benignitas seu misericordia desinit, ibi desinere longanimitatem, quoad alteram sui partem, omninò concedimus: quemadmodum nec in inferno amplius differuntur pœnæ, cum correctio ibi nulla expectanda sit, sed perpetuò infligantur. Porrò ex contemptâ DEI bonitate justitiam Divinam veluti novas acquirere vires & in furorem converti, id est, majores depluere pœnas, pariter concedimus; sed quâ ratione hic furor, aut illa etiam pœnarum prorogatio, peccatum omne aboleat, id verò pervidere nullo modo possumus. Quare sub correctâ istâ majore propositione: Ubi desinit longanimitas, ibi desinit peccatum toleratum & impunitum; totum argumentum admittimus,



mus, nempe in inferno desinere quidem longanimitatem, sed hoc ipso peccatum non amplius tolerari sed puniri. Id quod III. amplius constat ex oppositione status beatorum & damnatorum. Sicut enim DEUS in præsentī vitā fidelibus, promissa fidei præmia non eo statim momento confert, quo credunt, sed differt, ut constantiam eorumdem exploret & virtutes fide Christianā dignas eliciat, ut tamen collato tandem præmio credere aut bene agere non desinant: ita pœnas reprobatorum procrastinat, ut emendet & ad meliorem frugem traducat, ut tamen illatis tandem suppliciis increduli esse & malè agere non desistant. Quod denique IV. clarissimè docetur dæmonum exemplo, circa quos, licet *maximè* DEUS nulla occupetur, illi tamen perpetuò peccant. Quid? quod hoc ipso necessariò & immutabiliter peccent, quia pœnam eorum non distulit DEUS, neque interposito gratiæ suæ intervallo ad pœnitentiam eos invitavit, sed immisissā statim pœnā omnem benè agendi vel occasionem vel facultatem præcidit. Idem igitur & de damnatis dici necesse est, aut discriminis huius, si quod prætexeretur, graves & solidæ rationes adducendæ sunt.

CXV. Ad argumentum decimum respondemus, I. Peccatum neque de essentiâ esse pœnarum infernalium, neque ex essentiâ, earundem tanquam proprium quoddam, promanare, sed habere tamen sese, ut accidens pœnarum istarum, respectu purorum & merorum hominum inseparabile; id quod argumenta à nobis adducta immotè probant. Quæ verò, si Christo Servatori nostro applicentur, ideò vim suam amittunt, quia in subjectum cadunt, omnis peccati ignarum, quinimò, cui peccare repugnat. Quemadmodum enim Christus nobis per omnia similis factus est, excepto peccato: ita omnia nostri causâ sustinuit, excepto peccato. II. Habes iterum instantiam à peccato habituali, cui necessariò obnoxii sunt damnati, à quo tamen Christus in ipsâ perpeffione pœnarum infernalium fuit alienus. Si igitur Christus, non obstante indivulso peccati originalis cum suppliciis damnatorum nexu, pœnas infernales, sine adhærente ei peccati originalis labe, exantlare potuit, cur easdem pœnas non potuit perferre, sine assumptione peccatorum actualium, non obstante eodem in meris hominibus nexu? III. Christum nostrî causâ patientem verè peccasse,



veritate imputationis, multi non refugerunt asserere. *Peccata enim  
 nostra*, non pœnas tantum peccatorum, *in sese suscepisse*. Esa. LIII. 5.  
 I. Petr. II. 24. & *peccatum pro nobis factus esse*, magnâ cum *μεφάρσι* dici-  
 tur. II. Cor. V. 21. At, qui nostra peccata in se recipit, sibi que ita  
 appropriat, ut *suâ* faciat, Psalm. LXXIX. 6. seque, peccatum in ab-  
 stracto vocari, non prohibet, quia scilicet peccata nostra sibi im-  
 putari reali *λογισμῶν* à DEO haud aliter passus est, ac si ipse ea actu  
 perpetrasset; cur non eadem ratione peccator, & ceu Lutherus,  
 ad hanc appropriationis virtutem respiciens, loqui amavit, *pecca-  
 torum omnium maximus*, dici queat? Sicut nos propter imputatam  
 Christi iustitiam, licet ea nobis non inhæreat, iusti tamen, & iusti  
 verè propriè que vocamur. Quo pacto igitur Christus de cœtero  
 patiens peccator fuit, eâ quoque ratione in perpeffione infernalis  
 pœnæ peccasse, dici potest: quamquam, cum termini: peccare  
 & peccatorem esse, communi loquendi usu de peccati inhærentiâ  
 formali & subiectivâ exaudiantur, rectius ab iisdem absteineamus.  
 IV. Inprimis si Pontificii hoc contra nos argumentum urgeant,  
 opponi illis possunt neque uni neque ignobiles propriæ religio-  
 nis focii. Thomam de Argentinâ supra, §. XXI. disputantem  
 audivimus, posse quempiam de absolutâ DEI potentiâ beatum  
 esse in intellectu per apertam visionem essentiæ Divinæ, non ob-  
 stante, quod sit damnatus in suâ voluntate. De aliis, iisque Ca-  
 tholicis, Fr. Suarez, Jesuita, in Thom. III. Q. LII. d. XLIII. Sect. I.  
*Sentiebant*, inquit, *Catholici quidam, quod Christi anima post mortem pas-  
 sibilis fuit, passione innoxia & non inordinatâ. Hanc sententiam Medina  
 damnat, non ut hereticam, sed ut temerariam: quia licet dicerent, Christum  
 passum esse pœnas damnatorum, non tamen cum deordinatione, ut damnati,  
 sed voluntariè pro peccatis nostris, & cum maximâ charitate.* Denique  
 V. argumentum à desperatione deductum nullius ponderis est:  
 Quicumque desperat, is peccat. Damnati desperant. Ergo.  
 Nam, I. liberandum est vocabulum desperationis ab ambiguitate.  
 Desperare propriè illi dicuntur, qui in malis constituti, promissio-  
 nem liberationis ex iisdem, quamvis ea facta fuerit ab eo, qui li-  
 berare omnipotenti manu potest, & cujus promissio fallere ac falli  
 nescit, non apprehendunt, sed præfractè repudiant. Et hæc qui-  
 dem desperatio peccatum est, cum DEUM vel mendacii arguat



vel infirmitatis, sed in damnatos idèd non cadit, quia illis liberatio ex iis, quibus opprimuntur, malis nunquam promissa est. Sicut igitur spes in beatos non cadit, quia jam actu fruuntur bonis promissis & ab illis apprehensis: ita nec desperatio in damnatos, quia actu jam patiuntur pœnas, quas antea exhorrescebant. Deinde desperare illi dicuntur, qui neque spem eluctandi ex malo habent, neque promissionem ullam. Hæc verò desperatio, quamquam damnatos torquebit, peccatum tamen non est, quia non est contra ullam legem, & voluntati Divinæ aded non adversatur, ut potius eidem congruat, quippe quæ hoc ipsum vult, ut pœnas damnati nunquam evadant. Cyprianus, Or. de Adscens. Chr. *Omni tormento atrocius, desperatio, condemnatos affliget.* Quibus præmissis, major propositio limitanda est hoc modo: Quicumque desperat priori modo, is peccat; & tum conceditur, sed negatur minor: damnatus illo modo desperat. Si verò in posteriori intelligatur sensu, conceditur minor, sed negatur major, ex rationibus à nobis allegatis. 2. Si generale hoc argumentum ad Christum trahatur, hoc modo: Omnis damnatus desperat. Christus est damnatus. Ergo, tum ne major quidem propositio de desperatione, posteriori sensu accepta, vera, sed limitanda est: omnis damnatus ex propria culpa, destitutus eluctandi præsidii, peccat, conceditur; omnis damnatus, peccatum & damnationem ex peccato fluentem, liberè suscipiens, instructus viribus damnationis malum superandi, desperat; negatur. Christus enim ita sensit pœnas infernales, ut easdem vincere & tanquam gloriosus victor de iisdem triumphare, virtute personaliter sibi præsentis omnipotentiaè *ἐπιβύβου*, deberet. Quod de damnatis dici non posse, ex se est manifestum.

CXVI. In argumento undecimo magnum constituit robur Parkerus, quod idèd accuratius nobis expendendum est. Syllogismus ita habet: Omnis mortuus liberatus est à peccato. Omnis damnatus est mortuus. Ergo. Sunt in præsentii argumento duo termini, quorum neuter ab ambiguitate est immunis. Igitur I. sunt gravissimi nominis interpretes, qui verba: *qui enim mortuus est, justificatus est à peccato*, ita *ἐπιβύβου* omnium in illo capite antecedentium esse volunt, ut mortuus hoc loco non aliis intelligatur, quam

quam qui sp  
finita, quo  
amplius viv  
rum sit ill  
ptam mot  
fixam esse, id  
eius quali co  
cato. Qui  
absolutus à  
su D. Luc. O  
baptizatum  
plur vel com  
ab eo liberat  
hærens pecc  
cupiscentia  
prosequi  
cum pro  
objicienti  
ei, quod hab  
Neque nov  
teri, p. 22  
pro 70 227  
Sunt, ut  
tentia fau  
ex antec  
acceptam, p  
vio sensu  
ejusdem  
dusti syl  
liberatus  
tu dicitu  
ratus  
minor,  
ni, ablo  
turali,  
tem sub



quam qui spiritualiter peccato per fidem mortuus est, prorsus eo sensu, quo versu secundo dixerat: *qui mortui sumus peccato, quomodo amplius vivemus illi?* Ut adeo connexio & sententia verborum istorum sit illa: Cum igitur sciamus, vererem hominem & corruptam nostram naturam, vi meriti Christi subactam & quasi crucifixam esse, idque ideo, ut aboleatur vis & operatio peccati, quæ ejus quasi corpus est, danda est opera, ne amplius serviamus peccato. Qui enim crucifixus est & mortuus peccato, is est à DEO absolutus à peccato, adeoque vivere non debet peccato. Hoc sensu D. Luc. Osiander, p. 469. *Qui enim predicto modo spiritualiter per baptismum cum Christo mortuus est, is justificatus est à peccato, ut illi non amplius vel commissa peccata, vel etiam peccatum originale imputentur. Quare ab eo liberati, nihil amplius commercii cum eodem habeamus; ac tamen si inhærens peccatum in hac vitâ è carne nostrâ evellere nequeamus, tamen ejus concupiscentiis non obsequamur.* Eandem sententiam D. Joh. Gerhardus profequitur, loco de justif. §. 228. ubi Bellarmino, hunc nobis locum pro totali deletione & extirpatione peccati in justificatione objicienti, responderet: *justificari à peccato h. l. non esse liberari ab omni eo, quod habet veram rationem peccati, sed liberari à reatu & pœnâ peccati.* Neque nova hæc est interpretatio. Cyrillus, in Expositione veteri, p. 292. ad h. l. *Τὸς δὲ ἴστο ἀπὸ τῆς βαπτίσματος ἑ. ἰδιόθεν, ἐν ᾧ συντάφηται τὸ χριστῷ ὅτι ἐκ τῆς ἰστορίας βαπτίσματος, καὶ ἀπὸ καὶ ὁ καὶ ὅς ἐκείνι δὲ ἴστορον ἀπὸ τῆς ἰστορίας, εἰς ὃν συντάφηται καὶ συντάφηται.* Ex quibus apparet hujus sententiæ fautores, τὸ: *qui mortuus est*, non simpliciter, sed cum addito ex antecedentibus repetendo; *qui mortuus est per fidem, in baptisate acceptam, peccato;* & τὸ: *justificatus est à peccato*, vulgari & ubivis obvio sensu, de gratuitâ condonatione peccati & liberatione à reatu ejusdem exaudire. Quare secundum hos major propositio adducti syllogismi ita limitanda erit: *omnis mortuus naturaliter liberatus physicè est ab omni peccato;* negatur, neque hoc in textu dicitur: *omnis mortuus spiritualiter peccato per fidem liberatus est moraliter à reatu peccati;* conceditur major & negatur minor. II. Alii, cum videant, vocem: *mortuus est*, absolute poni, absolute quoque intelligunt, de morte propriè sic dictâ & naturali, quæ est dissolutio animæ & corporis, sed verò generalitatem subiecti ex antecedentibus ita constringunt, ut de sanctis so-



summodo & fidelibus sermonem esse dicant, hoc sensu: Quicumque sanctorum & fidelium naturaliter moritur, is ipsamet morte ab omnibus peccati reliquiis, quæ, dum viveret, expurgari penitus non poterant, liberatur: Ergo & spiritualiter mortuus peccatum, quantum fieri potest, deponere & justitiæ vivere debet. Ita Ægid. Hunnius, ad h. l. p. 58. *Quemadmodum alias tamdiu servi sunt obnoxii dominis, quamdiu vivunt, interventu mortis autem Dominorum potestati eximuntur: Et quemadmodum alias per mortem naturalem à peccato plenè liberantur sancti: ita per mortem spiritualem, quæ peccato moriuntur, liberantur, seu justificantur à peccato, ratione dominii.* Quam sententiam etiam D. Joh. Gerhardus, mentem suam mutans, defendit, loco de Morte, §. 282. Quo pacto major propositio in allato argumento nudè falsa est, ita generaliter concepta: omnis mortuus est liberatus à peccato; si verò sub ostensa restrictione formetur: omnis sanctus mortuus est liberatus à peccato; tum minor propositio: omnis damnatus est sanctus demortuus, apertè evadit falsa. Alii denique rectius III. literæ pressè insistant & indefinitum: *ὁ ἅπασαν θανάτου*, universaliter de omni mortuo intelligunt; justificationem verò à peccato, vel de totali deletione peccati, vel, cum hoc sensu vox justificandi nullibi alias usurpari videatur, de absoluteione à peccatis omnibus; sive sumptâ occasione & metaphorâ à sententiis judiciorum capitalium, quibus condemnati ad mortem, toleratâ morte, ab omni ulteriori accusatione delictorum absolvuntur, secundum Camerarium, in Not. ad h. l. sive à communi opinione & loquendi ratione, quæ mortui ab omnibus actionibus hujus vite, & in quantum illæ à toto composito, id est, homine promanant, cessant; quo sensu & Anacreon dixit, si profana licet comparare sacris: *ὁ θάνατος ἕκαστου ἐπιπέσει*; secundum Theodor. Beza. Prorsus eo sensu, quo David dixit: *In morte*, (ita sine restrictione ad damnatos loquitur, quamquam de damnatis solis nonnulli accipiant) *non est memoria tui, in sepulchro quis confitebitur tibi?* Psalm. VI. 7. non quasi mortui omni careant sensu & homo perinde atque pecus, non corpore tantum, sed & animâ emoriatur, sed quod, interprete Mart. Bucero, *sepulti DEI beneficia in hoc seculo & inter mortales, ceu par esset, minimè prædicare & ad mutuas laudationes invicem impellere possint.* Eadem ratione Psalm. CXV. 17. *Non mortui laudabunt*

bunt



bunt te, Domine, nec omnes descendentes in silentium. Non quod animæ demortuorum DEUM non laudent, sed quod, quousque mortui sunt homines, animâ & corpore simul Divina enunciare præconia haud possint. Atque ad eundem modum Eccl. IX. 5. *Vivi sciunt, se morituros esse, mortui autem nesciunt quicquam*: secundum eam nempe partem, quâ mortui sunt, corpus scilicet, cum animâ etiam post mortem vivant. Ex quibus loquendi modis sensum loci Paulini egregiè repræsentat Matth. Flacius, Ill. n. VII. p. 695. *Major hujus Syllogismi, inquit, est ex communi sermone ac opinione sumpta, quia, qui moriuntur, non amplius externa peccata cadunt, furtorum & similium patrent. Sic & Petrus inquit: qui passus est carne, destitit à peccato. Sic Psalmus inquit: cum quispiam moritur, pereunt omnes conatus ejus. Talis communis locutio est sequenti capite, quod mortuus sit liber à lege. Quorum neutrum est Theologicè intelligendum. Phrasis: mortuus justificatus est à peccato; significat: liberatus est à necessitate in hac vitâ patrandi peccata. Verbum alioquin est forense, significans propriè absolvere, quia, quos absolvit iudex, eos liberat ab accusatore & crimine, à lictoribus, carceribus, & carnifice: sic mors liberat hominem à communibus huius vitæ flagitiis. Quo supposito sensu, partim ex ipsâ literæ proprietate fluente, partim frequenti loquendi consuetudini sive in Scripturâ sacrâ, sive communi vitâ, conformi, limitabitur major propositi Syllogismi, hunc in modum: omnis mortuus, quousque mortuus est & quâ parte mortuus est, liberatus est à peccato hujus vitæ; & sub hac limitatione, conceditur totum argumentum, nempe: damnati quousque mortui sunt & quâ parte mortui sunt, liberati sunt à peccatis hujus vitæ. Quo tamen non obstante, continuare secundum eam partem, quâ vivunt, peccata in alterâ vitâ, & repetere possunt secundum totum compositum, quando ex morte per resurrectionem in infelicem denuò traducentur vitam. Atque hunc esse verum propriumque hujus loci sensum, IV. ex infirmitate rationum, in contrarium adductarum, uberius elucescit. Nam 1. unde probabitur, vocem: *λευθερωθέντες*, versu decimo octavo positam, literalem sensum sistere vocis: *δεδικαιώται*, versu septimo comparentis? Non nudè hoc asserendum dubitanti, sed fides facienda argumentis est. 2. *Ἐλευθερωθῆναι ἀπὸ τῆς αἰματηρίας*, non est immunem fieri à peccato, sed liberari à dominio peccati, ut vires amittat,*



tat, ne illud amplius necessarium regnet in mortali corpore nostro, velut ex-  
 ponitur v.12. Sicut & Christus nos liberasse dicitur à lege peccati &  
 mortis, Rom. IIX. 2. non legem & peccatum & mortem à fidelibus  
 auferendo, quippe quibus subjecti manent omnes, sed maledictio-  
 nem legis & reatum peccati & stimulum mortis conterendo, & in  
 iis, qui credunt, abolendo. Si igitur; *justificari à peccato*, v. 6. idem  
 est, quod; *liberari à peccato*, v. 18. tum damnati liberabuntur non  
 à peccato ipso, sed à dominio & potestate peccati, ut servire pos-  
 sint justitiæ; quod quam absolum sit, nemo non videt. 3. Ne-  
 que quidquam aliud dicit sive Basilius Magnus, sive Cyrillus.  
 Nam ἀπαλλάττοντες, ἐλευθεροῦντες, καὶ ἀρριζοῦντες ἀπὸ πάσης ἀμαρτίας, est ita libe-  
 rari & mundari à peccatis, ne nobis amplius nocere possint:  
 quemadmodum sanguis Jesu Christi, Filii Dei, καθαρῶς ἡμᾶς ἀπὸ πάσης  
 ἀμαρτίας, I. Joh. I. 7. non peccatum ipsum tollendo; si enim dixerim-  
 us, peccatum nos non habere, nos ipsos seducimus & veritas non est in nobis;  
 v. 8. sed à peccati reatu nos liberando: ut si credamus, remittat no-  
 bis peccata & ita mundet nos, non imputando, ab omnibus iniquitatibus  
 nostris; vers. 9. Potest igitur iterum cum hac ἀπαλλαγῆ, ἐλευθερίᾳ &  
 καθαρῶς τῆς ἀμαρτίας peccatum ipsum, actuale pariter ac habituale  
 consistere. 4. Theodoretus loquitur manifestè de hominibus  
 mortuis, secundum effectum ejus partis, quâ mortui sunt, neque  
 quidquam aliud vult, quam hominem demortuum, in præsentī  
 vitâ, nunquam alienum cubile constuprasse vel homicidio manus  
 suas cruentasse. Quid verò mortuus secundum animam agat,  
 quousque resurgat, & quid acturus sit, postquam resurrexerit, ani-  
 mâ & corpore simul? de eo nihil differit, sed silet. De mortuo-  
 rum verò actionibus in hac vitâ ipsi sermonem esse, ipsa loquendī  
 ratio satis arguit, cum inquit: quis unquam vidit? Quī enim ad vi-  
 dendī sensum provocare posset, si de mortuis in alterâ quoque vi-  
 tâ loqueretur, quorsum oculi nostri non pertingunt, neque vi-  
 dendī acies, quamquam Aquilina, penetrat? Quos inter & nos  
 χάρις μὴ ἐσθλατικῆ, ὅπως οἱ θίλοτες διαβῆναι ἐν τοῦτοις αἰῶσι, μὴ δύνανται,  
 μηδὲ οἱ κρείττονες αἰῶσι ἡμᾶς διαπεράσιν. Luc. XVI. 26. 5. Ambrosius hunc  
 ipsum epistolæ ad Romanos locum de morte peccatorum spiri-  
 tuali, quæ fit in baptismo per fidem, & cum quâ peccata secun-  
 dum se consistere possunt, exponit, veluti contextus, quem studio  
 non



non allegavit Sanfordus, luculenter ostendit; Tom. V. pag. 198. Qui enim moritur, jam non peccat, mors enim finis peccati est. Nam & idèd per aquam celebratur, ut sicut aqua sordes corporis abluit: ita & nos per baptismum ab omni peccato spiritualiter purgatos & innovatos credamus, ut quod incorporale est, invisibiliter abluatur. 6. Chrysoctomus in verbis allegatis, quem eodem sensu sequitur Theophylactus, de cessatione peccati mortuorum in hac vitâ loquitur; qui tamen alibi frequenter locum sive de morte sanctorum, sive de spiritali morte interpretatur. Tom. II. Hom. V. in Matth. IV. p. 785. Quoniam autem & peccatum in morte remittitur, docet Apostolus dicens: qui enim mortuus est, justificatus est à peccato. Quale autem peccatum in morte remittitur, scit, qui intelligit, pro quali peccato introducta est mors. Mors nempe æterna secundum ipsum fidelibus in ipsâ morte naturali per fidem remittitur & hoc ipso mortui justificantur. Eodem Tom. Conc. II. de Lazar. p. 1344. Ut igitur cognoscatis, non posse fieri, ut anima corpore egressa veniat sub tyrannidem demonum, audi, quid dicit Paulus: qui enim moritur, justificatur à peccato, hoc est, non amplius peccat. Nam si anima in corpore manenti Diabolus non potest inferre vim, perspicuum est, quod nec egressa. Igitur de damnatis ex hoc loco aliquid concludi posse, difertis verbis inficiatur. Tom. IV. Hom. X. in I. Cor. IV. p. 404. Ecce igitur neque ego aliquid mihi conscius sum, sed neque sic justificatus sum, hoc est, non sum propterea liber à crimine. Non enim dicit, quod justis annumeratus non sum, sed quod non sum mundus à peccato. Etenim alio in loco inquit: qui autem moritur, justificatus est à peccato, hoc est, liberatus. Hoc vult: in præsentî vitâ neminem fidelium immunem esse ab omnî labe, fieri verò demum post mortem. Tom. Eod. Hom. X. in I. Tim. III. p. 1480. Quæ secularibus jusfit, ea Episcopo implenda non jubet. Quid enim illis ait? Mortificate membra vestra, quæ sunt supra terram. Et iterum: qui autem mortuus est, justificatus est à peccato. Ac rursus: qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt. *ἐν παραδείσῳ* ponuntur: mortificari, mori, crucifigi, quæ non nisi fidelibus conveniunt. Et significantius, Tom. V. Libr. III. adversus vituperatores vitæ monasticæ, p. 1300. Constat profectò, ipsum non minorem à nobis vitæ diligentiam requirere, quam requirat à discipulis Christus. Usque adèd verò peccatis esse mortuos jubet, ac si jam & mortui & sepulti simus. Idcirco enim ait: qui autem mortuus est, jam est justificatus à peccato. 7. De Patribus

Y

&amp;



& Scholasticis, aliisque Doctoribus, à Sanfondo in causâ subli-  
 dium adductis, quamquam non idem judicandum sit, nemo ta-  
 men eorum est, qui, propius inspectus, sententiam ejus juvet. Am-  
 brosius, cum in morte cessare ait peccatum, haud aliter intelligit,  
 quam cum David in morte, etiam sanctorum, conquiescere lau-  
 des Divinas profitetur. Si igitur ideò damnati in inferno nihil  
 mali patrant, neque beati in cœlo quicquam agent boni. Gre-  
 gorius & Beda, cum ideò puniri damnatos æternum asserunt, quia  
 voluntatem habuerint sine fine peccandi, non ideò negant, da-  
 mnatos æternum, etiam post hanc vitam, peccare, quia secundum  
 ipsos, interprete Lombardo, solum hujus vitæ peccatum penam  
 meretur, peccatum autem infernale non item, quippe *quod*, (quæ  
 sunt verba Magistri) *non sit meritum supplicii, sed supplicium mali meriti,*  
*quod in hac vitâ præcessit, cum nullus mereatur, nisi in hac vitâ.* Proco-  
 pius aperte loquitur de omnibus promiscuè demortuis, bonis, ma-  
 lisque, & illis quidem occasionem virtutis, his peccati præcidit.  
 Aut igitur loquitur de operibus hujus vitæ, qualia non amplius  
 peragant defuncti; aut ex sententiâ quorundam veterum, qui  
 demortuorum animas, postquam ex hac vitâ exceßerunt, omni  
 prorsus actione spoliantes, tertio cuidam loco statuique, cui no-  
 men in Scripturis *שׂוּן*, *sheol*, sit, in quo dormientium instar otiosæ  
 & sine sensu, ad extremum usque diem, lateant, incluserunt. Ex  
 quâ tamen ipsâ opinione nondû sequitur, quando ex *ἄνευ πόνου καὶ*  
 illo quondam evigilantes, voce supremâ Judicis, animæ, cum  
 corporibus, ad constituendum integrum hominem, iterum con-  
 jungentur, non peccaturas esse. Unius enim positio non est al-  
 terius negatio. In Johanne Damasceno, qui Marci Hopperi cu-  
 râ, Basileæ An. M D XLIX, prodiit, liber contra Manichæos  
 non comparet; quare, quousque locum integrum, cum antecede-  
 ntibus & consequentibus, inspicere possimus, judicium differi-  
 mus; nisi quod allata verba actionem duntaxat vitii & virtutis à  
 damnatis remouent, habitum verò, quem perinde negat Parke-  
 rus, non inficiantur. Nicolaus de Lyra, in inferno non esse opus  
 ait ad merendum, ex quo tamen secundum Scholasticos, quos  
 ipse, seculi quippe decimi quarti scriptor, secutus est, ad peccati  
 absentiam argumentari non licet, quia *infernus secundum ipsos*  
 non

non est  
 quam ho  
 non aut  
 re possi  
 gloria  
 adsequ  
 le damna  
 qui tamen  
 cio Parke  
 damnati  
 sententia  
 penarum  
 (cum ali  
 citus fuit  
 peccatu  
 præsent  
 Mirand  
 qualicu  
 kerus m  
 CXVI  
 est: Ubi  
 nec pecc  
 go in in  
 hac gene  
 dum que  
 et & vo  
 cesse igit  
 rus. C  
 tantam  
 tio, cur  
 at, non  
 oppo  
 exteriu  
 ageret.  
 est pura  
 cultura



non est locus merendi. Strabus in Glosa ordinaria nihil aliud, quam hoc vult, post hanc vitam vel præmio vel pœnæ locum esse, non autem operationi tali, quâ, mercedem, quam velis, acquirere possis, id est, damnatos non ita operari posse, ut operatione suâ gloriam, quam per eandem in præsentî vitâ impetrare poterant, adsequantur. Thomam Aquinatem cæteris Scholasticis, actuale damnatorum peccatum negantibus, accedere, mirum non est, qui tamen interea habituale peccatum, quod & ipsum tollit è medio Parkerus, non negat, & insuper in allegatis verbis, non quid damnati facturi vel non facturi sint, sed quid infernales pœnæ essentialiter inferant, enunciat. Si autem vel maximè in formali pœnarum infernalium ratione peccatum non comprehenderetur, (cum alias & Christus, ad infernum descendendo, eidem implicitus fuisse, videri posset) aliæ tamen causæ esse possunt, ex quibus peccatum damnatis adscribi necesse esset, de quibus subinde in præsentî tractatione agitur. Neque à Thomâ recedit Comes Mirandulanus, qui dum maculam in damnatis agnoscit, peccato qualicumque eos subijcit & legi; quod verò difertis verbis Parkerus inficiatur.

CXVII. Ad argumentum duodecimum, quod in formâ hoc est: Ubi est locus meræ passionis, ibi nulla est actio, consequenter nec peccatum actuale. In inferno est locus meræ passionis: Ergo in inferno nulla est actio; Respondetur, I. Conclusionem in hac generalitate ne quidem ab ipso Parkero posse concedi, secundum quem damnati certè homines sunt, & vivi quidem, intellectu & voluntate præditi; at vivere & intelligere est agere. Necesse igitur est, ut aut majorem aut minorem corrigat ipse Parkerus. Quod si II. prædicatum majoris propositionis, ad actiones tantum transeuntes & externas restringat, tunc nulla apparet ratio, cur mera passio excludere actiones duntaxat exteriores debeat, non autem interiores, quibus tamen mera passio æquè ac illis opponitur. Quicquid enim merè patitur, id nullo modo, neque exterius neque interius, agit, alias non merè pateretur, sed simul ageret. Quemadmodum materia prima, quæ juxta Stagiritam est pura potentia passiva, nec internam nec externam agendi facultatem possidet, sed actionem, à formâ, tanquam actu, emanan-



rem, tantummodo recipit. Atque hæc causa est, cur ne conjecturâ quidem assequi valeam, quomodo majorem, ut specie saltem gaudeat veritatis, informare velit Parkerus. Quod si III. dicat, sensum majoris hunc esse: ubi tanta est vis passionis, ut omnem externam actionem sufflaminet, ibi nulla est actio exterior; tunc partim à 7<sup>o</sup>: mero & puro passionis receditur, è cuius antea ad actiones, quâ tales, opositione, ad actionum negationem præcisè concludebatur; & è contra ad passionum harum naturam & qualitatem confugitur; partim minor falsa est. Unde enim probabitur, vim passionis infernalis tantam esse, ut intercludat actiones exteriores, non autem tantam, ut suffocet interiores? IV. Minor propositio, sive hæc sit: infernus est locus meræ passionis; sive ista: passio infernalis tanta est, ut sufflaminet actiones exteriores, instantiam patitur ab epulone, cujus anima in infernali exitio existens, retrò cogitabat, loquebatur ad Abrahamum & responsa accipiebat. Quæ actio externa & transiens est. V. Merum igitur figmentum est, suo loco uberius refellendum, quod damnati, instar cadaverum, in inferno jaceant, sine motu, sine sensu, patientes sese erodi à vermibus, aut carnis ad instar mortuæ, ad ignem assari, aut deniq; velut inutilem stipulam exuri. Quis hæc credat, sine gravi & idoneâ ratione asserenti? VI. Quando communi loquendi usu, hic agendi, illic patiendi locus esse, dicitur, partim in comparatione id intelligendum est; quâ ratione de fidelibus dicitur, quod præsens seculum ipsis sit tempus lugendi, futurum verò ridendi, hic luctus, illic gaudium; non quod in hac vitâ nullâ omninò perfruantur lætitiâ, sed quod neque tam multâ neque tam exquisitâ, neque tam constanti: partim autem agendi patiendique vocabula cum *meditatione* capienda sunt, quâ impiis & incredulis ita sit hic agendi locus, ut liberè licenterque & plerumque etiam impunè quidlibet patrent, DEO insultent, probos ludibrio & libidini malorum exponant, præterea in immoderatis voluptatibus, quibus parcè admodum pii fruuntur, universam transigant vitam; illic verò patiendi ita, ut neque impunè amplius peccent, neque probos ullo damno afficiant, neque denique ullâ corporis animique voluptate perfruantur. Ex quo constat, hunc loquendi modum peccata inferorum non tam abolere, quam



quam in ordinem revocare. VII. Omnis actio duplex est, physica, cum quis reali influxu in rem quampiam agit, & moralis, cum directe aut indirecte rem intendit, etsi in eandem reali actione non influat. Quâ suppositâ distinctione major propositio in argumento proposito ita limitanda est: Ubi est locus meræ passionis, ibi nulla est actio, physica, concedo, moralis nego. Passio enim physica, cum intentione vel directa vel indirecta conjuncta, moralis actio est, quia est causalitas causæ moralis, id est, id, quo causa moralis moralis causa est, quæ cum sit è numero causarum efficientis, esse nequit, quam sine anima non potest esse homo. Passionem autem physicam, cui annexa intentio est, pro morali actione justè censeri, extra controversiam est & exemplis pater. Sic, cum quis patitur sibi stuprum inferri, quod prohibere poterat atque debebat, ipsum patrare stuprum, rectè æstimatur, adeoque tam causa est moralis stupri, quam is, qui intulit. Quare non sequitur: apud inferos non est actio physica: Ergo nec peccatum actuale. IIX. Multò minus sequitur: ubi nulla est actio, sed mera passio, ibi nec est peccatum habituale, nec actuale, quod utrumque negat Parkerus. Nam peccatum habituale, seu prava voluntas, ut sic, neque est actio neque passio, sed privatio actionis & passionis, & tamen est peccatum, quia est contra legem: *non concupisces*. Insuper peccata omissionis, velut non amare DEUM, neque eundem quandoq; solenniter colere, non honorare parentes, & similia, neque actiones sunt, neque passiones, & tamen inter peccata actualia perinde, ut ea, quæ committuntur, computantur. Nempe peccatum actuale est, quotiescunque actu à lege receditur, sive id fiat agendo, sive patiando, sive non agendo & non patiando. Quæ cum ita sint, à negatione actionis, in qua minima consistit peccatorum pars, ad negationem omnis actualis peccati, non valet consequentia. IX. Cum actio passioni duplici ratione contradistingui possit, vel in formali, vel in consequenti, major iterum propositio hunc in modum limitari potest: Ubi est mera passio, ibi nulla est actio, formaliter & in ipsa passione, concedo; consequenter & post passionem, nego. Quamquam enim isthæ privatio, qua damnatis facultas bene agendi vivendique



furripitur, quæque ipsi in statum damnatorum constituuntur, passio sit, non actio, respectu damnatorum, eandem tamen passionem actiones malæ necessariò consequuntur. Quicquid enim est præcipua humanæ miseriæ pars, id è damnatorum suppliciiis aded non eximi, ut potius primò includi debeat. At verò privari potentias hominis nobilissimas, intellectum & voluntatem, debita perfectione, ut nec intelligere bonum, nec velle possint, sed impetu quodam in malum inclinent, illudque, quoad possunt, perficiant, præcipua humanæ miseriæ pars est, longè infelicioꝝ illa, qua sensus corporis, quos cum bestiis homo habet communes, naturali perfectione & voluptate spoliatur. Ergo hæc ipsa miseria vel maximè ad essentiam pœnarum infernalium spectat. Quo de argumento dato studio egimus, §. XLVII. Ex quibus X. ultrò patet, quid ad objectas in contrarium rationes responderi debeat. Infernum scilicet locum pœnarum esse concedimus, pœnas omnes meras privationes esse negamus, cujus contrarium vel sola distinctio pœnarum in pœnas damni & sensus demonstrat. Et esto, pœnam in formali passionem esse, eandem tamen actiones varias insequi, nihil prohibet. Ex eo verò, quod Scriptura pœnas infernales passivis vocabulis describit, non plus sequitur, quam easdem passiones esse, non item, esse meras, multò minus, actiones non posse statum illum passionis consequi. Ignis certè passionem excitat, sed passio vicissim isthæc impatientiam, hæc invidiam, furorem & blasphemiam. Abjici à facie DEI est equidem excludi à visione ejus beatificâ, id est, nec cognoscere DEUM, ut summum bonum, nec amare, sed hoc ipsum, etsi mera omisio sit, peccatum tamen actuale est, quod alia, non minus actualia, peccata necessariò insequuntur, utpote livor, odium & similia. Præterea nec per meras passiones infernale nobis exitium ubique depingitur. Dentibus stridere & mori morte æternâ, actiones includere, supra probatum fuit, ne quid de cæteris dicamus. Justitiam requirere, ut actiones malæ passionibus dolorosis compensentur, concedimus, sed has ipsas passiones dolorosas actiones alias, imprimis turpes, ex quibus passiones istæ & dolores intensionem capiant & incrementum, excludere, negamus. Justitiæ dictatum fuit: quo die comederis, morte morieris; comedit

dicitur, h  
 fuerit, ut p  
 Denique  
 ante, quæ  
 CA  
 digatur, h  
 inferno stat  
 Major ex I  
 Quicquid  
 mnatorum  
 cluso con  
 peccant.  
 ergo non  
 terius no  
 subiectu  
 ad solari  
 tæ falli  
 uti origi  
 præterea  
 & odium  
 Nempe i  
 quod dicit  
 alterius,  
 quæ, no  
 possunt,  
 certæ &  
 tum; a  
 to subn  
 quid igni  
 id ab ip  
 etiam est  
 intellect  
 sed aug  
 mnati  
 dicend  
 quæ se



dit homo, mortuus est, & tamen tantum abest, ut passus tantum fuerit, ut plus etiam malarum actionum, quam antea, commiserit. Denique ad argumentum ab excellentiâ pœnarum petitum paulò ante, quantum satis erat, respondimus.

CXVIII. Argumentum decimum tertium, si in formam redigatur, hoc est: Quicquid ad solatium damnatorum facit, id in inferno statuendum non est. At blasphemare DEUM. Ergo. Major ex Luc. XVI. 24. Zach. IX. 11. Minor hoc modo probatur: Quicquid est vindicta sui, id est solatium. At blasphemia damnatorum. Ergo. Respondetur, I. Si utriusque argumenti conclusio concedatur, nondum tamen effici hoc: ergo damnati non peccant. Quæ enim consecutio est: damnati non blasphemant; ergo non peccant? A negatione unius speciei ad negationem alterius non rectè concluditur. Si verò regeras, ampliandum esse subjectum minoris propositionis, hoc modo: Peccare in DEUM ad solatium damnatorum facit; tunc hæc ipsa minor apertè evadit falsa. Quomodo enim peccatum quodlibet in DEUM, veluti originale, & inter peccata actualia multa omissionis peccata, præterea invidia in proximum, impatientia erga seipsum, quini & odium in DEUM, in solatium cedere peccantis, dici potest? Nempe id duntaxat peccatum vindictæ nomine, quæ solatium quoddam est, venit, ubi vel re vel verbo contumelioso, honorem alterius, quantum in nobis est, lædere annitimur; cætera verò, quæ, non obstante hoc argumento damnatis competere utique possunt, non item. II. Aliud solatium est verum & solidum, certæ & falli nesciæ spei innitens, cum genuinâ voluptate conjunctum; aliud falsum & spurium, infirmo lubricoque fundamento subnixum & cum augmento infelicitatis connexum. Quicquid igitur ad solatium damnatorum verum atque solidum facit, id ab ipsis removendum est, concedo; nego verò, avocandum etiam esse ab illis id, quod, quamquam tenebricoso damnatorum intellectui solatium quoddam videatur, revera tamen non est, sed augmentum potius supplicii. Quid enim, obsecro te, damnati blasphemando lucrantur? Id nempe, quod furiosi maledicendo, ut duplo majores accipiant plagas, aut certè tormenta, quæ semel subiere, nunquam effugiant. Quod si dicas; melius  
ni.



nihilominus ipsis esse, si maledicere, adeoque animum vindictæ cupidum saltem verborum aculeatis morfibz exsatiare possint, quam si id ipsis non liceret: respondeo, comparationem impro- priam esse & bonitatis atque solatii tertium neutri competere, adeoque absolutè & citra *ὀυκ εἰσὶν* loquendo utrique malitiam & miseriam inesse. Quare in contrarium potius ita argumentor: quicquid ex errore intellectui damnati in specie alicujus so- latii apparet, revera tamen ad augmentum doloris infernalis fa- cit, id damnatis utique adjudicandum est. At blasphemia. Er- go. Major probatur, quia proprium damnatorum est, erroneum & tenebris obrutum habere intellectum, adeoque in eligendo bo- no aberrare. III. Ratione, quæ ad probandam majorem ad- ducitur, nos per retorsionem utimur hoc modo: Quicquid est ab- solutissima omnium pœnarum officina, id & eam complectitur pœnam, quæ est illusio sive frustratio ejus, quod dum anxie peti- tur, magno cum dolore non obtinetur. Quanta enim pœna am- bitioso est, affectare honores & gloriam, & spe tamen suâ excide- re? *Miserrima est omnino ambitio, honorumque contentio*, inquit libro de officiis Tullius: quippe quæ, dum irriti sæpe sunt conatus, vanique labores, in proprium corpus sævit, viresque tristitiâ de- pascit & haud raro ignobilem vitæ exitum accelerat. Quan- tum supplicium est offenso, intra animum suum marcescere, & quâ ratione inimicum è medio tollas, omnium virium robore anniti & tamen ultionis jucunditate nunquam posse perfrui? Quod in amantibus inprimis omnis nobis seculorum historia ante oculos posuit. Qui dum impensè invicem deperiere, nec desiderii voti- que sui reddi participes potuerunt, brevi tempore extabuere do- lore. Nonnulli violentas in proprio corpore experiri manus; aut in aquas se dare præcipites, quam supervivere tam acerbo animi sui sensui maluere. Magnum igitur incommodum est, commo- dum quærere & spei tamen suæ inutiliter perdere operam. Ma- jor tamen sæviorque pœna est, inhiare animi tui delectationi, & loco voluptatis dolores & cruciatus referre; appetere honores & inglorium fieri, insidiari vitæ alterius & propriam perde- re, amare alios & ab iis odio haberi. Gravis igitur pœna est, ultionem blasphemiam quærere & confundi atque in pudorem dari: & crudelis est, in seipsam quæ sævit, manus.

IV. De

IV. De loc  
 tantum di  
 gnificatio  
 sui in aque  
 Erat ep  
 ita adu  
 fiderare.  
 felicitas qu  
 tatem arcti  
 ignitarum  
 enim perflu  
 immo statu  
 metaphori  
 in rem Sch  
 suo nobis  
 loco, occa  
 cui & alia  
 gearatio  
 p. 120. U  
 catoris, non  
 Multa enim  
 peccata, et  
 fidiaba.  
 cum dederin  
 num dediti  
 I. Tom. IV  
 debatur?  
 gnâ necessi  
 pum exul  
 opulenta  
 hant? Ubi  
 Nonne ut  
 & clamor  
 geret sum  
 roas ab  
 sua hospita



IV. De locō, Luc. XVI. infra ex professo acturi sumus; nunc id tantum dicimus, nihil cogere, ut à propriâ verborum omnium significatione discedamus: *Mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam & refrigeret linguam meam, quoniam crucior in hac flammâ.* Erat epulo in flammis propriè dictis: ergo membra ejus ardore ita adurebantur, ut non posset natura, nisi refrigerium ficire & desiderare. At linguæ æstum, & ut ita dicam, incendium, quid felicius quam aqua extinguit, quæ & propter naturalem humiditatem arctius hæret atque penetrat, & propter frigiditatem vim ignitarum flammarum omnium efficacissimè compescit? Neque enim persuaderi possumus, cum toties Scriptura pœnas infernales, immò statum inferni integrum, per ignem describat, in inferno metaphoricum duntaxat, non proprium futurum esse ignem. Quâ in rem Scholastici Theologi prolixè disputarunt, quorum rationes suo nobis loco examinandi uberius suppeditabitur, quam præsentî loco, occasio. Quæ causa quoq; est, cur Jo. Chrysoft. juxta literam, cui & alias religiosè inhærendum est, nisi gravis in contrarium urgeat ratio, aliquoties hæc verba interpretetur. Hom. de Divite, T. II. p. 1320. *Ut intingat extremum digiti sui in aquam. Videt conscientiam peccatoris, non totum audent poscere digitum. Ut refrigeret linguam meam. Multa enim superba locuta est. Ubi peccatum, ibi pœna. Quâ plurimum peccavit, amplius torquetur. Aquam desideras, qui delicatos cibos ante fastidiebas.* Hom. XXIIV. in Joh. III. Tom. III. p. 126. *Si Christo potum dederimus, non dicemus cum Divite: mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam meam.* Serm. III. in Phil. I. Tom. IV. p. 1136. *Age, ô dives, nonne mensa tua vino undique perfundebatur? Nunc verò ne guttam quidem aqua in potestate habes, idque in magnâ necessitate constitutus.* Epistolâ III. quam ad Cyriacum Episcopum exulem exul ipse scripsit, Tom. V. p. 966. *Quid profuit huic opulentia & quod in purpurâ & bysso vitam egit? Ubinam, qui fascies gestabant? Ubi satellites? Ubi equi aureis frenis? Ubi parasiti & regia mensa? Nonne ut latro vincit in sepulchrum abductus est, nudam animam exportans & clamans vanâ voce: Pater Abraham, mitte Lazarum, ut riget & refrigeret summitate digiti linguam meam, quia graviter torqueor? Cur Patrem vocas Abraham, cujus vitam non es imitatus? Ille omnem hominem in domo suâ hospitabatur, tu autem neque inopis curam habebas. Non est deplorandum*



*dum & flendum, quod dives ille aqua guttā dignus non habetur. Micas cadentes de mensā pauperi non dedit, quid mirum, si nunc guttam aquæ non accipit? Hyeme non seminavit misericordiam, venit æstas & nihil messuit. Quæ cum ita se habeant, ex se patet, majorem propositionem in literali atq; immediato sensu præsentis loci non contineri. Quamquam verò V. ex proprio hujus dicti sensu ita colligi rectè possit: si epuloni refrigerationem, etiam qualemcunque, corporis sui petenti, nihilominus denegatum hoc est, quia bonum suum accepit in hoc mundo, tunc ex eadem ratione quæcunque alia, etiam animi, refrigeria recusata sunt; nihilominus tamen refrigeria & solatia, ut ex superioribus manifestum est, non alia, nisi firma & solida, quale non est adulterina ista sui ipsius vindicta, intelligi possunt. VI. Idem prorsus judicii est de loco, Zach. IX. 11. quamvis non una sit omnium sive antiquiorum sive recentiorum Ecclesiæ Doctorum de expositione ejus opinio. Cyrillus aquam, quæ in foveâ infernali esse negatur, *vitam gratiæ*; Augustinus *humana miserie siccam profunditatem & sterilem, ubi non sunt fluentia justitiæ, sed iniquitatis lutum*; Theodoretus *vanum & laboriosum idolorum cultum*; Theophylactus *mortem æternam*; quæ singula actualia peccata vel in literâ vel in virtute verborum comprehendunt, interpretantur. Quæ de re agit D. Dorscheus, Part. I. Theol. Zach. c. VII. §. 109. f.*

CXIX. Ad argumentum decimum quartum respondemus, I. Negando majorem: quicumque continuo exquisitissimi doloris sensu ita obruuntur, ut nec requiem unquam habeant, nec finem, illi animum ad peccandum applicare, adeoque vitiosos committere actus non possunt. Si enim maximè verum hoc esset de peccato commissionis, falleret tamen ratione peccati omissionis, quippe quod cum exquisitissimo dolore & nunquam interruptâ ejus continuatione consistere potest. Quid? quod hoc genus peccati tormentorum atrocitas & continuatio naturâ suâ promoveat. Quis enim DEUM amare aut proximo bene velle possit, qui doloribus ita excarnificatur, ut nec animum adplicare amori, nec actum benevolentiam ullum exercere queat? Non autem amare DEUM, nec bene velle proximo, peccata sunt, eaque actualia. II. Majorem propositionem nec de peccatis commissionis univèrsim vram esse, quæ quantum ad ea, quæ ex concupiscentiâ irasci-

bi



bili ortum trahunt, pœnarum atrocitate provocantur potius; quam arcentur, §. LIII. demonstratum est. III. Quoad minorem propositionem, quæ hæc est: Atqui damnati continuo exquisitissimi doloris sensu in stuporem intellectus & voluntatis aguntur: instantia militat ab epulone, qui, saltem secundum animam in inferno existens, in ipsis exquisitissimi & concatenati doloris tormentis intellectu & voluntate, haud secus ac in præsentivita, utebatur. Videbat Abrahamum, agnoscebat Lazarum, in memoriam sibi revocabat præterita peccata, de mediis mitigandi dolorem cogitabat, alloquebatur credentium patrem, curam habebat sui & aliorum, disputabat denique; ex quibus patet, similia alia atque plura agere eundem potuisse. Hoccine est stupore opprimi intellectum & voluntatem? Præterea argumentamur hunc in modum: si pœnarum immanitate stuporem non acquirunt sensus, multò minus acquirunt intellectus & voluntas. Ignis enim infernalis & cætera tormenta corporalia, cum sensibus, qui materiales sunt, majorem & proximiorum habent cognationem & agendi in eos proportionem, quam cum intellectu & voluntate, quæ sunt facultates immateriae & spirituales, quas in se nulli cruciatus sensibiles destruere apti nati sunt. Et licet operatio earundem per organa corporea vi doloris sensibilis impediri possit, prius tamen & magis impediuntur actiones ipsorum sensuum, juxta regulam: nihil est in intellectu, quin prius fuerit in sensu; Et his integris manentibus, superiorum potentiarum operationes à vidolorum pariter illæsæ manent. Jam verò pœnarum infernalium crudelitate non obstupescunt sensus, quod ab adversâ parte conceditur, cum alias dolorem nullum sentirent damnati. Ergo nec intellectus atque voluntas. IV. Neque minorem hanc probant argumenta à Parkero adducta. Aliud enim est pœna, aliud gradus & excellentia pœnæ. Pœnas in genere in infernali regno sine ullo intervallo continuari & æternâ sibi serie succedere, concedimus, sed semper eodem gradu esse, eadem excellentiâ excruciare, stuporem perpetuò infelicibus animabus immittere, id neque credimus, neque loca adducta, ceu ea ipsa, tantum obiter inspecta, docent, evincunt. Apoc. XIV. ii. damnati, (si tamen de his & non magis de bestiarum adoratoribus in hoc seculo, quod mul-







*Psalmus ait, ad finiendam iram suam, vel post iram suam, sed in irâ suâ. Ex quibus palam est, mitigationem pœnarum, vel absurdam, vel facris literis repugnantem, nequaquam visam fuisse Augustino; ita, ut si vel maxime animus damnatorum tempore exquisiti supplicii in stuporem redderetur, tempore tamen levaminis & mitigationis ad se quasi rediret & operationibus naturalibus restitueretur. Potest autem mitigatio pœnarum infernalium dupliciter intelligi, primò sensu Origeniano, quò ita sedari vel placari damnatorum supplicia concipiuntur, ut possint tandem omninò accipere finem & in cœlestem beatitudinem converti; quam anilem per me appelles licet stultitiam, si placet; quamquam idem *λίγημα* ante Origenem Justinus Martyr, qui inferni supplicia vel non fore perpetua vel non perpetuò sensibilia; Irenæus & Clemens Alexandrinus, qui Diabolum posse duci pœnitentiâ, cum liberum habeat arbitrium; post eundem verò Epiphanius & Theophylactus, tradiderint, velut productis ad Irenæum locis notat Fr. Fevardentius, Doct̃or Parisiensis. p. 478. Quibus addi debet Gregorius Nyssenus, qui in Orat. Catech. c. 35. *manifestum est, inquit, auro adulterino, confusoque, & non sincero convenire fornacem, ut cum eo mixtum vitium fuerit liquefactum, longis postea seculis pura DEO conservetur natura;* quem locum ab hæreticis intrusum esse, frustra conqueritur Fronto Ducaeus. p. 382. Vel secundo accipi eadem pœnarum mitigatio potest sensu Augustiniano, quo pro demeritis majoribus minoribusque, (dubium enim non est, in ipsomet inferno aliquando gravius, aliquando parcius peccare damnatos, aliquando blasphemare, aliquando à convitiis abstinere) nec non pro remissâ suorum aut intensâ pietate relevantur aliquando cruciatus, aliquando ingravescent, ut tamen nunquam penitus terminentur. De quo, quamquam ita pronunciet, ad Aug. Enchirid. Lamb. Danæus: *Hoc verò prorsus ἀδύλον & non firmum; quis enim hoc revelavit?* eodem tamen jure ex Danæo quæri potest: quis unquam revelavit, paria perpetuò & æqualia in inferno fore supplicia? Maximas damnatis perpetuò incumbere pœnas, equidem dictatum est à Spiritu DEI: has ipsas autem, quantumlibet maximas, pœnas eodem semper gradu, eadem intensiōe & extensiōe miseros istos vexaturas esse, non item, sed hoc tamen dete-*



Etum est, inæqualibus peccatis inæqualem destinari atque inferri pœnam. Cum igitur inæqualia esse in ipso inferno peccata nihil prohibeat, nec quicquam vetat, inæquale esse supplicium.

CXX. Ad argumentum decimum quintum responderetur, I. Falsa est in argumento propositio major: Quicquid Scholastici Theologi uno ore & pleno consensu docent, id vel indubitatè verum, vel certè vero simile est. Neque enim majorem Parkerus Scholasticis auctoritatem admetietur, quam ipsi Pontificii. Jam verò Melchior Canus, (de quo Pererius, in Dan. I. 12. scribit, quod in Concilio Tridentino celeberrimus fuit Theologus, quodque post magnos illos Doctores mysteria S. Literarum nullus ipso plenius aut planius docuerit; & F. Rodericus Vadislaus, Benedict. S. Cæsareæ Maj. à concionibus, in Censurâ operibus præfixâ: *Quid potissimum in tanto quidem opere laudem, vix dicere queo. Nam si dictionis castitatem & elegantiam queras, eam certè reperies, quæ cum Ciceronianâ conferri possit. Si rerum gestarum historiam, rationemque tractandæ historiæ; si philosophiæ subtilem accuratamque rationem; si Theologiæ Scholasticæ argumentum; post Divum Thomam, nullo ex multis, qui de hac familiâ doctè ac diseretè scripserunt, inferiorum judicare licebit*) libris Locorum Theologicorum, quos Dom. Bannes, Part. I. Q. LXXIV. Art. II. magnâ eruditione & summâ eloquentiâ refertos esse, ait, sequentibus conclusionibus Scholæ auctoritatem circumscribit: Prima: *Etiam multorum Scholasticorum testimonium, si alii docti contrarium propugnent, in questione dubiâ, non plus facit ad fidem, quam facit ratio ab ipsis adducta.* Secunda: *Ex omnium consensu in re gravi argumentum sumitur ad eò probabile, ut refragari temerarium sit.* Tertia: *In re fidei ac morum omnium consensui contradicere, si non hæresis, hæresis tamen proximum est.* At quæstio de damnatorum peccatis, neque inter res fidei aut morum, neque inter controversias graves à Parkero pariter atque Cano numerabitur: Ergo plus eorum auctoritati tribui non poterit, quam merentur rationes, ab ipsis in subsidium adscitæ. II. Habet Parkerus infinitas instantias à sacrificio Missatice, à cultu imaginum, à merito operum, à Sacramentorum numero & similibus, ubi veritas ab his magnis hominibus, quos Apologia Aug. Conf. alibi, p. 174. *maximam turbam vocat nugacissimorum scriptorum, qui in unum collati acervum, quamquam magnificis titulis ornentur, dum alii vocantur angelici, alii subtiles, alii irre-*

fra-



fragabiles, omnes lecti & relecti, non tantum conferunt ad intelligendum Paulum, quantum unus veterum Patrum, turpiter & unanimiter deserta & errores plusquam trabales defensi fuerunt. Quæ verò in his talibus iplis adjudicanda verisimilitudo erit? III. Eos ipsos, quos in auxilium vocat, Scholasticos, Parkerus refellit: non, inquit, pro magistri acumine Lombardus nodum istum solvit; & meliorem sententiam, ut sibi videtur, restituit. Cum enim magno consensu Scholastici, nec Bonaventurâ excepto, (ceu contra Parkerum ex iis, quæ supra produximus, apparere potest) habituale damnatorum peccatum, seu pravam voluntatem tueantur, Parkerus ex Rom. VI. 23. etiam hanc ab illis removet. Tam bellè ipsi cum Scholasticis convenit. IV. Negatur & minor propositio, quod nempe tantus sit inter Scholasticos circa præsentem quæstionem consensus. Producit Doct. Dorscheus, in laudatissimâ Theologiâ Zacharianâ, Part. I. c. IX. §. 197. Stephanum Brulefer, qui postquam verba Bonaventuræ repetiisset; *Timor servilis aufert damnatis non habitum malæ voluntatis sed actum*, hanc *in locum* addat: *Et hæc est opinio Bonaventuræ, sed non tenetur à Doctoribus modernis, qui dicunt, quod sicut sancti continuo laudabunt DEUM: ita damnati continuo blasphemabunt DEUM & actu peccabunt*; atque cum eo facere adseverat Durandum à S. Portiano. V. Denique, quæ ad stabilendam Scholasticorum Doctorum auctoritatem comportata sunt, nihil aliud probant, quam ingenii acumine & in enodandis difficillimis quæstionibus diligentiam non cedere facile eos cuiquam, nec sine eorundem læsione vel accuratè philosophari vel occupari in controversiis nos posse, quæ cum Romanâ Ecclesiâ nobis intercedunt; quæ utrâque manu admittimus: ex quo tamen non sequitur, veritatis indicium esse, in quodcunque plures eorum conspirant. Quemadmodum Ecclesiasticos primorum seculorum Patres omnes veneramus, qui tamen pro se quisque singuli nævis non exiguis obnoxii fuerunt, & omnes conjunctim errores haudquam leves, ceu palam est, foverunt. Quamquam æquiparare puriora illa lumina impuriorebus his in Scholastico orbe sideribus nolimus, de quibus Joh. Aventinus, ap. Luc. Osiandrum, Centur. XVI. Part. I. c. IIX. *Petrus Lombardus, sententiarum quatuor libros scripsit; sed sacrosanctæ philosophiæ veritatem, fontemque purissimum,*

*sic 168*



sicut plus millies à Jacobo Fabro & Jodoco Clichtovao, Præceptoribus meis, accepi, cæno questionum, rivulisque opinionum conturbavit.

CXXI. Argumentum decimum sextum, dubitandum non est, quin inter palmaria primum sit, quod hominem Reformatum ad amplectendam sententiam negantem inducere possit. Neque certè ullo modo status ille *ἀναμαρτησίας* damnatorum citra hypothesein in hoc argumento jactam, à quâ qualemcunque induit speciem, consistere potest. In examine igitur hujus argumenti observamus, I. ad universam instituti illius discursus molem perpetuam instantiam esse, dæmonem, sicuti subinde ostendemus. Ubi nulla est lex, ibi nulla est transgressio. At in regno dæmonum nulla est lex. Ergo. Conclusio est contra literam, I. Joh. III. 8. Et minor propositio iisdem profus argumentis probatur, quibus perspicuum reddit Parkerus, damnatis non esse legem. Ubi enim DEUS, dæmonibus se unquam tulisse legem significavit? Aut quâ ratione dæmon actiones suas ad publicam componere potest honestatem? Aut qui denique liberè eligere bonum malumque, cum ad malum ex judicio Divino sit determinatus? Quicquid hic regesserit Parkerus, id sibi ipsi responsum esse, ultrò animadvertet ipse. II. Non ignorat Parkerus discrimen inter legem naturalem & positivam, quarum illa ipsam hominis naturam, ut principium revelationis & obligationis, hæc causam exteriorem aliam, potestate *ἀνυπερθέτου* in homines pollentem, agnoscit. Ut aded limitanda sit ex hac distinctione major propositio: Ubi non est lex, sive ipsi naturæ implantata, sive lata exterius à DEO, ibi non est transgressio; conceditur major, sed negatur minor, quoad disjunctionis membrum prius. Quamquam enim positivam non habeant legem damnati, quæ in infernali etiam regno ipsos obliget, naturali tamen non ideò carent: *Νόμον μὲν ἔχοντες, ἰαυτοῖς ἔισι νόμοι* ut de gentilibus pronunciat Paulus, Rom. II. 14. Quando igitur dicitur: DEUS, damnatis se legem tulisse, nullo unquam indicio significavit; de lege positivâ admittitur, non de naturali, cujus indicium sufficiens est ipsum naturæ dictamen & conscientiæ horror & impressus cordi character, *μεταξὺ ἀδελφῶν ἡ λογισμῶν καὶ τῆς ῥέντων ἢ καὶ ἀπολογισμῶν*. Rom. II. 15. Aut igitur docendum est, deleri factam hanc à naturâ in cordibus inscriptionem in da-



damnatis, aut lege eos quapiam, etiam in inferno, obligari. At quâ ratione illud docebitur? Ubi DEUS se unquam deleturum esse hanc legem ullo indicio significavit? III. Hæc ipsa lex naturalis dupliciter consideratur, vel præcisè, ut est naturæ impressa, ut est *ἐξ ὧν ἔτιμὸν ἡ χάρις τὸν ἐν ταῖς καρδίαις*, Rom. II. 15. & quidem *τῆ φύσει*, vers. 14. (Quicumque igitur *φύσει* seu naturam habet, in ejus corde scripta est lex; At damnati. Ergo. Et: Cujuscunque principium necessarium in inferno non deponitur, id ipsum non deponitur. At natura legis principium necessarium in inferno non deponitur. Ergo.) Vel ut est externo actu solenniter repetita & scripto comprehensa. Jam verò & hanc legem damnatis latam esse, invicta argumenta evincunt. Primò enim cum Parke-ro quæro: Ubi DEUS unquam hanc se legem damnatis non tulisse, ullo indicio significavit? Secundo, DEUS naturalem hanc legem repetiit omnibus illis, in quorum cordibus eadem scripta quidem, sed per lapsum obscurata fuit. At tales sunt & damnati. Ergo. Tertio; Quorumcunque hominum DEUS Deus est, illis hæc lex est lata. *Ego sum Dominus DEUS tuus; non habebis alios Deos coram me.* Exod. XX. 2. At & damnatorum. Ergo. Quarto: Quicumque sunt homines ratione præditi, illis lata & repetita est lex: DEUM coles & amabis. Damnati. Ergo. Major probatur, quia, quisquis ratione est præditus, quando naturalem rationis discurrentis ductum & inclinationem sequitur, non potest non agnoscere, DEUM esse colendum & amandum. At verò DEUS huic ipsi inclinationi naturali, à se creatæ & homini inditæ, contrarium quicquam præcipere non potest, nisi velit sibi ipsi adversari, id est, *semetipsum negare*, quod tamen non potest. II. Tim. II. 13. Ergo legem ferat, necesse est, naturali, à se homini concretæ, legi conformem. Jam verò ratio non aliter potest, nisi hunc in modum argumentari: Quisquis me infinitis beneficiis affecit, ei ego infinitum debeo honorem & amorem. At DEUS. Ergo. Scilicet, qui unquam fieri potest, ut liberentur damnati ab obligatione DEUM amandi & colendi, cui infinitum debent honorem & amorem? Is enim honor, is amor, qui aliquando finem consequitur, non est infinitus. Quemadmodum ergo damnati facere non possunt, ne sint à DEO creati, à Christo redem-







tissimi Patres, imprimis Origenes, Oecumenius & Phorius anno-  
 tarunt, è quibus hic ita scribit: ἢ ἀμαρτία καὶ αὐτὸ ἦν. ἐπορεύετο γὰρ  
 καὶ τὸ προσηγορευθῆναι ἕκαστον μὴ γινώσκων ἢ ἐν ἡ ἀμαρτία, ἀλλ' ἕως πᾶσι  
 ἐλογίζετο, ἐδ' εἰς ἅσων χάριν τιμωρίας ἢ ἀμαρτημάτων ἕκαστον ἐγνώριζε-  
 το. Ἐδὲ ἵνα περὶ αὐτῶν καὶ ὁρίσασιν πᾶσι τιμωρίας, καὶ διὰ τῆς ποιηλασίας  
 ἐκδηλοῦντες αὐτῶν κριτησῶνται, καὶ πᾶσι μὲν ἢ ἀμαρτημάτων ἐμφανίσανται,  
 μέλλου καὶ πᾶσι ἐγίνοντο γνώσασιν, ἢ συνιπὶ καὶ ἀσυνίτη, ἢ νόμῳ καὶ προσηγορίῃ, καὶ γυ-  
 ναικὶ καὶ ἀνδρὶ. διὰ ἔτι ἐν αὐτῶν ἦν ὁμοίως ἐλογίζετο ἡ ἀμαρτία, ὅτι πᾶσι  
 ἔλατο ἡ τιμωρία, καὶ ὅτι ἐδὲ τὸ μέγα αὐτῶν ἀκράβως ἐγνώσασιν, καὶ ὅτι ἐδὲ ἢ  
 πᾶσιν ἢ ἐκλάθει πᾶσι πλημμελῶσι ἡ τιμωρία. De lege igitur scriptâ so-  
 lummodo sermo est Apostolo, neque de æstimatione peccati in se  
 ex illâ, sed de magnitudine & reatu peccati. 2. In argumento:  
 Quoscumque DEUS per legem neque ad honestatem publicam,  
 neque ad salutem reipubl. aut dirigit, aut dirigere potest, aut vult  
 etiam dirigere, illis non fert legem. Damnatos. Ergo; ma-  
 jor propolitiio limitanda est, quâ limitatâ, sponte evanescit mino-  
 ris veritas. Dirigere enim aliquid ad honestatem, dici potest du-  
 pliciter, vel ex se & intentione ferentis legem, vel in eventu. Ad  
 legis autem rationem sufficit, directionem priori modo ei conve-  
 nire. Sicut is, qui insaniam sibi ultrò contraxit, lege intentio-  
 naliter dirigitur ad abstinendum à cæde, ab adulterio, à blasphem-  
 iâ; licet in eventu, ob impedimentum voluntariè injectum, ab  
 his flagitiis neque abstineat, neque abstinere possit. Simile judi-  
 cium est de damnatis. Porro potentia & vis dirigendi legi adim-  
 itur, vel quia subjectum dirigendum in se est inidoneum, ut ad  
 honestatem traducatur; quâ ratione concedimus majorem, ne-  
 gamus autem minorem; damnati quippe homines sunt, adeoque  
 directionis legalis capaces; vel quia illud ipsum subjectum pro-  
 priâ culpâ ineptum factum est; quâ ratione falsa est major: quos-  
 cumque DEUS per legem ad honestatem idèò dirigere non potest,  
 quia ineptitudinem recipiendi directionem propriis flagitiis sibi  
 adsciverunt, illis non fert legem; utpote quæ superiori instantiâ  
 sufficienter refellitur. Denique: nolle dirigere, vel dicitur de  
 voluntate quadam, sponte contractam incapacitatem antecedente;  
 quo sensu falsum est, DEUM nolle damnatos per legem diri-  
 gere ad virtutem; vel de voluntate consequente; quâ ratione  
 major falsa est, quæ si vera esset, insani legem neque haberent, ne-  
 que peccarent, quod absurdum, Præter hæc singula directio non



est finis legis primarius, sed obligatio. At verò ad honestatem & illi obligari possunt, in quibus honestas ipsa neque unquam obtinetur, neque obtineri potest; sicut primi nostri Parentes per lapsum non sunt exleges facti, etsi legem, si extra Christum fuisset, neque servassent, neque servare potuissent. Quare & major propositio simpliciter negari potest. 3. Quicquid non est creatura libera & indifferenter se ad bonum atque malum habens, ei DEus non tulit legem moralem. At damnatus. Ergo; major propositio primò infirmatur per instantiam; Angeli & beati in gloriâ non sunt creaturæ ad bonum & malum liberæ atque indifferenter sese habentes; ergone non habebunt legem? At qui legem non habet, bene agere non potest: est enim bonum id, quod conforme est cum lege. Ergo *ad regem* & neutrum erit, quicquid agunt aut acturi sunt. Deinde limitatâ majore: quæcunque creaturæ neque indifferens unquam fuit ad bonum, malumque, neq; nunc est, ea non habet legem; negatur minor. Damnati enim determinationem ad malum suâ sibi culpâ attraxerunt, cum liberrimè ad id sese primò habuissent. 4. Atque hinc sponte suâ corrui responsio Parkeri ad argumentum: quicunque declinat à primævâ rectitudine, naturæ hominis inditâ, is peccat. Damnati. Ergo. Quomodo enim instantiæ loco ad majorem bestię producî possunt, quibus inclinatio ista ad rectum & fuga obliqui nunquam indita fuit, neque ob rationis defectum indî potuit? 5. Cujuscunque nulla uspiam sit mentio in Sacris, id asserendum non est. Legum in regno infernali. Ergo. Major iterum instantiâ premitur à beatis desumptâ. præterea, ubicunque sit mentio legum naturalium, hominis cordi intimè infixarum & simpliciter atque omni statu immobilium, ibi & fieri mentionem legum damnatis latarum, si quidem homines sunt & de humanâ naturâ ac ratione participant damnati, ex se intelligitur. 6. Succedit aliud argumentum: ubicunque objectum & occasio exercendæ legis naturalis nulla est, ibi nec lex ipsa locum habere potest. At in inferno. Ergo. Ad quod primò responderetur negando majorem per instantiam. Titio in carcere detento objectum & occasio deest, exercendi liberalitatem, quem tamen obligat lex: dilige proximum, sicut teipsum. Adamo, si solus fuisset creatus,

(po-



(potuisset autem solus creari, quia nihil prohibet) defuisset ob-  
 jectum & occasio proximo benefaciendi, parentes naturales hono-  
 randi, cuiuslibet suum tribuendi: ergone hæc leges tum è naturâ ex-  
 ulassent? aut novi quid Adami naturæ accessit, postquam Eva  
 ex latere ejusdem prædiit? Deinde limitatur major: Ubicumque  
 objectum & occasio exercendæ legis naturalis nulla est, ex pro-  
 priâ culpâ, quâ se quis in isthanc infelicitatem præcipitavit, ibi lex  
 ipsa naturalis non obligat; & sic negatur; quia, qui suâ culpâ in  
 æternos detrusus est carceres, objectum & occasionem variarum  
 virtutum exercendarum, utpote publici cultus Divini & Sabba-  
 thi agendi, DEUM in cœtu sanctorum solenni voce prædicandî,  
 proximum in variis periculis juvandi, & similitum, amisit, & ta-  
 men lex naturalis obligare eundem non cessat. Et qui debitum  
 mille florenorum contraxit, solvendi verò impotentiam luxu &  
 profusione malitiosa sibi induxit, adeoque objectum & occasio-  
 nem liberandi se alieno ære perdidit; num ideo creditori suo ob-  
 ligari desinit? Ne quidquam dicam de eo, quod nec ad Sabba-  
 thum celebrandum dies necessariò requiratur, sed indefinitum  
 sufficiat tempus; neque tenebræ tam atræ futuræ sint, quin ad  
 augmentum pœnæ intueri invicem damnati & agnoscere paren-  
 tes suos; nec denique loci conditio tam arcta, quin virtutes alias,  
 nisi malè agendi necessitatem sibi ipsis fabricassent, excolere pos-  
 sent. Deniq; 7. quando ita colligitur: quicumq; neq; blasphemare,  
 neq; occidere, neq; mœchari, neq; furari, neque falsum dicere te-  
 stimonium, neque injuriis onerare proximum, nec appetere quic-  
 quam alieni potest, is non potest peccare; Damnati. Ergo; qui-  
 libet videt, majorem propositionem laborare insufficienti par-  
 tium & peccatorum enumeratione. Sunt enim alia infinita pec-  
 cata, quæ patrare damnati possunt, præter recensita. Perinde  
 igitur est, ac si quis ita ratiocinari vellet: Quicumque neque jurâ-  
 mentum in utilitatem proximi deponere, neque parentes, (si in  
 orco existant) honorare, neque sedare discordias, neque infirmi-  
 tatem suam modestè agnoscere, neque exercere patientiam aut  
 misericordiam, aut mansuetudinem, aut castitatem conjugalem,  
 aut liberalitatem in tribuendâ eleemosynâ, neque suscipere curam  
 pauperum potest, is non potest bene agere. Beati. Ergo. Quid  
 enim?



enim? Annon virtutes omnes omittere, adeoque ipsâ omissione graviter peccare; annon odisse DEUM, colere Diabolum & *κατ'εως* alias *πασι τὸν κτίοντα*, intellectum imbuere erroribus veritati cœlesti contrariis, voluntatem blasphemii & contemptu legum Divinarum, profanare Sabbathum, proximum maledictis & imprecationibus incessere, odio seipsum consumere, perpetuâ cum fratribus discordiâ, superbiâ, inobedientiâ, impatienriâ, ingratitude, invidiâ, iracundiâ, immisericordiâ, *επιχειρητικῆ* vindictæ cupidine, mendacio, calumniâ flagrare; annon hæc & alia hujusmodi peccata sunt, eaque actualia, etiamsi eorum numero, quæ supra recensuimus, non comprehendantur? Præterea, quamquam lingua damnatorum ignita futura est, non tamen ided loqui & stringere eandem contra justissimum Numen cessabunt, sicut epulo non ided loqui desuit cum Abrahamo. Quemadmodum enim ignis infernalis, corpus ipsum damnatorum & vitam, cui alias intercepto aptus natus est, non extinguet: ita neque corporis operationes & actiones vitales. Et quamquam non occidere manu & furari brachio & mœchari corpore valebunt, animo tamen & intentione hæc singula eos perpetrare non posse, nondum probatum est; quæ tamen interiora peccata æquo pondere cum exterioribus æstimat Christus, Matth. V. 22. 28. 34. 39. 44. Et esto, injuriis damnatos impetere non posse damnationis socios, poterunt tamen DEUM, angelos atque beatos, sicut & appetere rem alienam, id est, æternum beatorum gaudium. Ex quibus omnibus, nisi fallor, ad oculum patet, quam lubricis innitatur fundamentis palmarium hoc, ut prima specie videtur, argumentum, adeoque plus promittat in fronte, quam habet in recessu.

CXXII. Argumentum decimum septimum ex Psal. XLIX. desumptum hoc est: Qualis est mors bestiarum, relata ad vitam, quæ mortem antecessit, talis quoque est interitus impiorum, in respectu ad eorundem vitam consideratus. At illorum mors privatio est omnis actionis vitalis & rejectio à facie hominum. Ergo. Ad quod respondetur, I. hoc argumento concludi, ne quidem vituros amplius esse post mortem damnatos, sive quoad animam, sive quoad totum compositum, si resurrexerint olim, consideratos. Quemadmodum enim oves in cloacas projectæ, vita animæ non

am-



amplius vivunt, corpore verò à morte paulatim cōsumuntur, dō  
 nec in nihilum prorsus fuerint redactæ: ita impiorum anima cum  
 corpore simul interibit, cadaver verò in infernalem ignem conje-  
 ctum, quousque in pulverem abierit, à morte paulatim conficietur.  
 Quod quia absurdum est, comparationem Davidicam intra cer-  
 tos terminos coerceri, nec ultra scribentis intentionem extendi,  
 necesse est. II. Igitur partim ex innatâ vi atque significatione  
 vocum, partim ex consideratione contextus, liquidissimè patet,  
 primò & immèdiatè nonnisi quoad naturalem mortem, ejusque  
 effectum proximum, cessationem scilicet ab actionibus hujus vitæ,  
 damnatos ovibus conferri, hoc sensu: *Quamvis impii longam,*  
*(vers. 12.) & tantum non perpetuam sibi polliceantur vitam, va-*  
*na tamen eorundem spes est, (vers. 13.) quia nihilominus, cum*  
*brutis similem duxerint vitam, brutorum instar interibunt. Et si*  
*verò (vers. 14.) successores eorum hanc ipsam, quantumvis pessi-*  
*mam vitam maximâ cū stoliditate collaudent; ipsi tamen nihilo-*  
*minus (vers. 15) in sepulchrum, (quod, ceu notum est, חאש fre-*  
*quentissimè dicitur) conduntur, veluti putridæ oves, quæ terra,*  
*ne in naribus nostris fœteant, obruuntur, ut qui furere contra o-*  
*mnes consueverunt, furere desinant, & qui omnes voraturi erant,*  
*deinde à terrâ morte ipsi vorentur (quâ loquendi ratione in pri-*  
*mis ad alteram impiorum partem, corpus respicitur, quod à ver-*  
*mibus absimitur) & qui tyrannidem in probos crudeliter exer-*  
*cuerant, ipforum denique dominium subeant & patiantur. Hoc*  
*enim est, quod dicitur: & dominabuntur eis recti manè & figura eorum*  
*veterascet, in inferno à gloriâ eorum. Lutheri versio: Aber die From-*  
*men werden gar bald über sie herrschen / und ihr Dros muß vergehen / in*  
*der Hölle müssen sie bleiben. Quem sensum non certè malè repræ-*  
*sentat apud Aug. Marloratum Jo. Calvinus: Valde apposita, inqui-*  
*ens, similitudo, descendere istos homines in sepulchrum. Nam vix superba*  
*homini sufficit totus orbis; adeò vanis suis sigmentis turgent singuli, ut ferè pro-*  
*prium sibi solem, aërem, terram seorsim appetant. Ab illo immenso fastu,*  
*quo se longè latèque extendunt Propheta eos, quasi oves, coacervat in sepul-*  
*chrum, & morti pascendor tradit. Sensus ergo est: quum sibi primatum*  
*usurpent inter homines, venturos tamen sub jugum mortis, ut serò discant, de*  
*nihilò se fuisse gloriosos. Nam prostratos jacere sub tyrannide mortis, mise-*



rior est servitus ac sedior, quam subesse quibuslibet hominum imperiis. Ea  
 miserrima transmutatio est, quod, qui hic in summis agunt deliciis, apud in-  
 feros sint futuri pabulum mortis. Ex quibus omnibus palam est, in-  
 ferri hinc non posse: impii ovibus assimilantur, in eo, quod per-  
 æquè ac oves tandem ex hac vitâ decedere, conditumulo & cessa-  
 re à superbis hujus vitæ actionibus illos oportet; Ergo in inferno  
 quoque nihil amplius acturi, & sic nec peccaturi sunt. III. Non  
 diffitemur, multos ex veteribus de infernalibus pœnis hunc lo-  
 cum exposuisse, neque etiam ad eò ipsi refragamur, si quis amplia-  
 re vocum significationem & hoc sensu intelligere velit: sicut o-  
 ves inutiles sepulcro reponuntur; mors naturalis corpus eorum  
 exedit & æterna animam, donec utraque integrum quondam ho-  
 minem in inferno depascat. S. Hieronymus, Tom. IIX. pag. 71.  
 Sicut oves in inferno positi sunt, mors depascet eos. Merito à mor-  
 te depascuntur, qui Christum noluerunt habere pastorem. Et domina-  
 buntur eis iusti in matutino. In resurrectione. S. Augustinus,  
 Tom. IIX. p. 455. Sicut oves in inferno positæ, mors pastor est eis.  
 Quibus? illis, quorum via scandalum ipsis. Quibus? illis, qui præsentia so-  
 la attendunt, dum futura non cogitant; illis, qui vitam non putant, nisi istam,  
 quæ mors dicenda est. Non igitur immerito, tanquam oves in inferno, mor-  
 tem habent pastorem. Quid est, mortem habent pastorem? Mors enim ali-  
 qua res est, aut aliqua potestas est? Mors nempe separatio animæ à corpore.  
 Mors equidem, quam timent homines separatio est animæ à corpore. Mors  
 autem verè, quam non timent homines, separatio est animæ à DEO. Et ple-  
 rumque cum timent homines istam, quæ separat animam à corpore, incidunt  
 in illam, ubi anima separatur à DEO. Hæc est ergo mors. Quomodo au-  
 tem mors pastor est illis? Si vita Christus est, mors Diabolus. Habemus au-  
 tem multis locis in Scripturâ, quia vita est Christus. Mors autem Diabolus  
 est, non quia ipse mors est, sed quia per illum mors. Sive enim illa, in quâ  
 lapsus est Adam ipsius persuasione, homini propinata est, sive ista, in quâ sepa-  
 ratur anima à corpore; ipsum habent authorem, qui primò per superbiam  
 cadens invidit stanti & morte invisibili dejecit stantem, ut etiam morte in visi-  
 bili perderet. Ad eum pertinentes, pastorem mortem habent, nos autem, qui  
 de futurâ immortalitate cogitamus, & non sine causâ in fronte signum crucis  
 Christi portamus, non habemus pastorem, nisi vitam. Infidelium pastor mors,  
 fidelium pastor vita. Bernhardus, Serm. II, de verb. Apostoli: non est



est regnum DEI cibis & potus: p. 548. Sicut oves in inferno positi sunt, mors depascet eos. Quam bene, sicut oves? Quia detractio vellere mundalium divitiarum, dure pressequi detonsi, sempiternis nudi deputabuntur incendiis. Mors depascet eos: quia semper morientur ad vitam & semper vivent ad mortem. Ergo hic caro vermibus, illic anima ignibus deputatur, donec rursus infelici collegio colligati, tormentis penalibus socientur, qui socii fuerunt in vitiis. Ex hodiernis Joh. Brentius, vir, ut prorsus eruditus, ita præcipue in explicandis Scripturæ sensibus sine exemplo felix & jucundus, Tom. III. p. 591. Collocabuntur, inquit David, impii in foveâ, in sepulcro, in inferno, in perpetuâ videlicet internecone. Quemadmodum enim grex ovium cogitur in unum stabulum, in quo unâ ita concluduntur, ut non liceat eis, quo libet, evagari: ita impii conjicientur in unam foveam, in unum sepulcrum, hoc est, in infernum, ut ibi perpetuò detenti, non queant amplius evadere, quia mors, non illa tantum corporalis, sed etiam æterna depascet & absorbet eos, immò verò non absorbet, sed cruciatu in sempiternum durabili affliget eos. Quemadmodum Paulus ait, dabunt in interitu æternas pœnas à facie Domini & à gloriâ virtutis ejus, ut nihil aliud reliquum sit, quam quod impii omni suâ fortitudine & robore destituantur, omni suâ fiducia pudefiant, omni suâ gloriâ, quâ fruebantur quondam, exuantur & æternâ perditione crucientur. Sed verò negamus consequentiam: mors æterna depascit damnatos; ergo non peccant: & dicimus contrarium potius sequi. Nam mors æterna amplitudine suâ peccatum includit, sicut §. LVI. ex S. Literarum fundamentis & consensu Augustini atque aliorum probatum est. Neque IV. alia est loci Petrini sententia, quippe in quo bestiali vitæ bestialem convenire exitum pronunciat, quod verò ad peculia-rem exitus modum non est extendendum. Rectè & eleganter ad h. l. Imman. Tremellius & Fr. Junius: *Graphica eorum pictura, in quâ bestiis comparantur, idcirco natâ, ut dum ventri student, sese in laqueos indant perituras. Nihil enim esse istis ignorantius, quamvis, que ignorant, audacissimè vituperent; & fore, ut bestiarum exemplo, iis ipsis voluptatibus, quibus delectantur & Ecclesie catum contaminant, exitium sibi ipsis accersant.*

CXXIII. Ad argumentum decimum octavum, respondetur, I. Non esse unam veterum atque recentiorum de hoc loco Davi- dico interpretando sententiam. LXX. Interpretes verba sequentem in modum transferunt: *αἰσχροῦ ἐν ἡσυχίᾳ ἡσυχίᾳ ἐν αἰσχροῦ ἡσυχίᾳ*; Quam versionem suam facit Augustinus, Tom. IX. p. 179. Eru-



*bescant impii & deducantur in infernum; confusionem utique illam in aeternum.* Sed verò Hieronymus, Hebraicæ linguæ peritissimus, ex Hebraicâ veritate restituit lectionem: *Confundantur impii, taceant in inferno.* Quem sequitur Theodoretus. R. Dav. Kimchi accipit: כריתו בישון, *excisionis significatu*, quemadmodum ex Lexicorum testimonio frequenter occurrit; & לשאר, vel de sepulcro vel de inferno intelligi posse arbitratur. Chaldæus facit ellipsin, quasi dici deberet: דימו ויבאו לשאר, *taceant & deferantur in infernum*, motus sine dubio eâ ratione, quod juxta Hebraicam constructionem non dicatur: *taceant in inferno*; sed: *taceant in infernum.* Quem sequitur Aretius Felinus. Imman. Tremellius eandem ellipsin supplet, sed præcedente excisionis significatu: *Excindantur descensuri in sepulcrum.* Salomo Gesnerus voce inferni solam mortem temporalem intelligi & de cætero imprecandi formulâ esse autumat: *per Scheol*, ajens, *intelligit mortem.* Neque enim aeternam damnationem hostibus suis imprecatur, pro quibus Christus ipse in cruce oravit; sed hoc petit, ut malitia & fastus illorum justâ vindictâ & temporali exitio coercatur. Qui verò tacendi sensu utuntur, neque tam imprecandi, quam terrendi & denunciandi verba esse volunt, silentium hic prædicatum vel reale faciunt, uti Seb. Münsterus: *compescantur in sepulcro*, q. d. cum moriuntur impii & persecutores Ecclesiæ, confilescit non tantum os eorundem elatum, sed cadunt minæ & redigitur in ordinem exigui cujusdam sepulcri, quicquid ante longè lateque contra pios bacchabatur; vel verbale, in quantum impii in extremo quondam judicio ipsâ Christi majestate ita confundentur, ne quidquam ei regerere possint. Quâ ratione Joh. Brentius: *Etsi impii in precibus suis faciunt longos logos, ut est mos hypocritarum, tamen sunt coram DEO verè muti & descendunt ad infernum muti.* Ac valde quidem vocales sunt, & plurimum vociferantur, insultando, mentiendo & tyrannidem exercendo adversus justum & pium. Coram tribunali autem Domini, cum propter impietatem arguuntur, ita obmutescunt, ut ne gry quidem vel ad unum verbum respondere queant; ideoque ligatâ manibus & pedibus proficiuntur in exteriores tenebras, ubi est fletus & stridor dentium. Quamcunque verò harum interpretationum approbes, non tamen ullo modo sequitur, non peccaturos esse damnatos. Neque enim vel sequitur: *erubescunt impii & deducuntur in infernum*; Ergo in inferno non peccant; Neque etiam: *excinduntur in infer-*



ferno; Ergo non peccant: Neque porrò: tacent & deferuntur in infernum; Ergo & in inferno tacent, nec amplius peccant: Neque item: excinduntur descensuri in sepulcrum; Ergo in inferno non peccant: Neque: confilescat fastus impiorum in morte ipsorum; Ergo non peccant in inferno; Neque: compescuntur in sepulcro; Ergo non peccant in inferno: Neq; deniq;: confundentur in extremo iudicio, ne quidquam respondere possint: Ergo nō peccabunt in inferno. II. Quamquam verò proprietati literæ & considerationi textus omnium optimè conveniāt Chaldaica paraphrasis, cujus sensus est: calumniantur equidem impii in præfenti seculo liberè atque impunè DEUM hominesq; innoxios: sed erit tempus, quo, quam stultè fecerint, oculis suis videbunt, quippe confundendi, si ex hac vitâ decesserint, publicè, partim sententiâ Christi condemnatoriâ, partim iudicio propriæ conscientiæ; quod Philo, vel quicumque alius, ita expressit: *Videntes impii, turbabuntur timore horribili & mirabuntur subitam atque insperatam piorum salutem, dicentes intra se cum pœnitentiâ, & præ angustia spiritus gementes: Hi sunt, quos habuimus aliquando in derisum & similitudinem improprietatis. Nos stulti vitam ipsorum estimabamus insaniam & finem illorum sine honore. Erravimus à viâ veritatis & justitiæ lumen non luxu nobis. Quid nobis profuit superbia, aut divitiarum jactantia quid contulit nobis? Talia dixerunt in inferno hi, qui peccaverunt.* Sap. V. 2. 3. 4. 6. 8. 14. non tamen sequitur: filebunt; ergo non peccabunt: partim, quia & in præfenti vitâ quis ad silentium & *in inferno*, licet peccare pergat, adigi potest. Matth. XXII. 46. Actor. VI. 10. partim quia & in ipso silentio atque omissione actionis contrariæ, ex lege debita, peccati ratio consistit; partim denique, quia silendi voce nihil aliud exprimitur, quam convictio propriæ conscientiæ de probis in innocentes petulanter jactis. Possunt autem damnati intra sese confiteri, injustè se fecisse, quod in beatos, in gloriâ existentes, varia contumeliarum & injuriarum tela vibraverint: & tamen interea, ob pœnarum, quas idè patiuntur, atrocitatem diris eos & maledictis devovere, quod grande peccatum est. Neque enim silentium imponi conviciantibus impiis quicquam aliud est, quam opprobriis modum statuere, ne impunè amplius innocentes lacessant. III. Non posse præfens silentium de omnimodâ actionum vitium, in primis etiam locutionis, cessatione intelligi, evidenter



probat exemplum epulonis, qui & locutus est mediis in flammis linguâ suâ, eademque haud unâ ratione, sicut suo loco ostenderetur, peccavit. Luc. XVI. 24. f.

CXXIV. Argumentum decimum nonum, ex Phil. II. 9. 10. petitum I. instantiam perpetuam patitur à Diabolo, qui, si ob distributionis universalitatem sub numero *regum, & solus* contrinetur, & ipse cogitur genu flectere ad tremendum Salvatoris nostri nomen, atque confiteri, quia Dominus JESUS CHRISTUS est in gloria DEI patris; & tamen quotidie peccat, *DEum tanquam hostem odit, non invocat eum, nihilque boni ab eo expectat*, ut loquitur Augustana Confessio, Artic. XX. Ergo nec repugnabit, damnatos timere atque revereri Filium DEI, tanquam supremum ipsorum judicem, & tamen peccare. II. De dicto Paulino: *inferi flectere genu debent Christo*; non est una omnium interpretum, sive quoad subiectum, sive quoad prædicatum sententia. Nonnulli I. distributione isthac: *caelestia, terrestria, inferna*; universam creaturarum omnium multitudinem contineri existimant, quam genu Christo flectere, hoc est, eidem subiectum esse & pro DEO atque Domino in regno potentiae illum agnoscere, oporteat. Tertullianus, libro de Trinitate: pag. 613. Neque enim, si non & DEUS esset Christus, omne se in nomine ejus genu flecteret, *caelestium & terrestrium & inferiorum, nec visibilia aut invisibilia, aut rerum omnium omnis creatura homini esset subiecta sive substrata, qua se ante hominem esse meminisset*. Origenes, libro I. Periarch. c. VI. pag. 681. Omnes hi, qui in nomine JESU genu flectentes, per hoc ipsum subjectionis suae insignia declararunt, qui sunt *caelestium, terrestrium & inferiorum*: in quibus tribus significationibus omnis universitas indicatur. Ambrosius, Comment. in Epist. ad Phil. II. Tom. V. p. 368. Nomen DEI, per naturam, non per solam appellationem super omne nomen est. Hinc est, ut in nomine JESU omne genu flectatur, *caelestium, terrestrium & inferiorum*; sicut ad Romanos significat, inter cetera dicens: *& ex quibus Christus secundum carnem, qui est super omnia DEUS benedictus in secula. Quae sint autem haec omnia, in epistola istâ aperit, dicens: caelestia, terrestria & inferna. Alia enim nulla sunt. Quos sequitur, adjectâ ratione, cur voce inferiorum non possint specialiter daemones intelligi, Theod. Beza, ad h. l. Nolim quidem ego hic subtiliter philosophari, an Diaboli hoc nomine significentur, quos alibi facit aëris principes. Sunt ista nobis abscondita, quamvis aliquid liceat in utramque partem disserere, ex his, quae de tartaro, abyssu, tenebris com-*  
memo-



memorantur, II. Pet. II. 4. & Jud. v. 6. Existimarim quidem ego simpliciter, ista enunciatione Paulum voluisse exprimere, quæcumque & supra mundum sunt & in mundo, quæ omnia testetur Christum aliquando agnitura pro DEO, id est, quum venerit mundum judicaturus. Itaque flectere genu, pro adorare, id est, tanquam Deo subjici, dictum erit *ἐκ τῶν ἁγίων*, de iis quoque, quæ sensus & rationis, vel etiam utriusque sunt expertia. Quæ si vera sunt, tam non sequitur, damnatos non peccaturos esse, quam si quis hinc colligere vellet, nec diabolos, nec homines in præsentî vitâ, quippe qui numero universitatis æquè ac damnati comprehenduntur, peccare. Quæ enim est consequentia: subiecta sunt Christo omnia: Ergo nemo peccat? Alii verò 2. dispesci hic duntaxat universitatem creaturarum rationalium, in cœlestes, id est, angelos bonos, in terrestres, id est, homines bonos malosque, & infernales, id est, dæmones, arbitrantur. Hieronymus, Comm. in Ep. ad Phil. Tom. IX. p. 365. Et infernorum; hic, inquit, infernorum custodes inducit. Jo. Chrysostr. Tom. IV. p. 1170. Quid verò est, cœlestium, terrestrium & infernorum? Hoc est, omnis mundus, & angeli & homines & dæmones. Quem, ut solet, verbotenus sequitur Theophylactus, h. l. p. 658. Basilius; apud Oecumenium, p. 666. *ἐπιπροσκύτων καὶ ἐπιπροσκύτων ἀγγέλων καὶ ἐπιπροσκύτων καὶ δαιμόνων*. Genuflexionem verò vel de adoratione exponunt; Basilius, l. c. *πάντων γένου καὶ ψυχῶν εἰς προσκύνησιν ἠδὲ ἁλοῦσιν*. Chrysostr. in I. Cor. XIII. T. IV. p. 576. Huic omne genu flectatur cœlestium, terrestrium & infernorum. Haud equidem genua, ossave, spiritibus iribiendo, (absit enim) sed eminentem adorationem pro humano captu declarans. Quæ tamen adoratio toto genere diversa est ab eâ, quâ DEum veneramur, nec quicquam iis aliud notat, quam ex parte intellectus confessionem Divinæ majestatis in Christo habitantem, ex parte voluntatis verò subjectionem coactam, cum servili timore conjunctam; unde Basilius semet exponit: *καὶ ἡδὲ καὶ δαίμονες ἐπιπροσκύτων* (διὸ φησιν οὐδὲ ἀμείναι τίς εἶ, ὅτι ὁ ἀγγέλων ἔστιν) καὶ ἐπιπροσκύτων, ὅταν ὁσὶ χειρὶς καὶ ἰσχύος. Chrysostr. l. c. Omnis lingua confitebitur, quod Dominus sit JESUS Christus, ad gloriam DEI patris; id est, ut omnes hoc dicant. Illud verò gloria est patris. Hom. IX. in Act. III. Tom. III. pag. 508. Quoties de viro aliquo virtutibus prædito loquimur, dicimus: lava os tuum & sic mentionem facio: nunc verò honorabile nomen, quod est nomen super omne nomen, quod admirabile in omni terrâ, quod dæmones audientes contremiscunt, simpliciter distrahimus. & consuetudinem, quæ id fecit contemptissimum! Theophylactus



Etus. l.c. Nam & demones agnoscent & inviti inflectentur, non amplius veritati repugnantes, quia & ante tempus illud dicebant: novimus te, qui sis. Vel de subjectione simplici, eaque violentâ. Quâ ratione Hilarius, libro de Patris & Filii unitate, p. 751. Et cum caelestia & terrestria genua flectent; hoc caput omnis principatus & potestatis est, ut & omnia genu flectendo subiecta sint, in quo sumus subiecti & cui sumus subiecti, & quia per habitantem in se corporaliter divinitatis plenitudinem in DEI patris sit gloria consistendus. Præclare Hieronymus, lib. II. in Ep. ad Eph. c. III. Tom. IX. p. 219. Non ad genua corporis, sed ad subjectionem mentis & inclinationem animæ, cordisque obsequium pertinet, terra se coquantis, ut Psalmista quoque canit dicens: adhesit pavimento anima mea. Res enim spiritalis & incorporea anima rei corporali, pavimento, quomodo potuit adherere? Esto quippe in nomine JESU flectant genua terrestria. Nunquid & angelos, cæterasque virtutes, quæ in caelestibus perseverant, possumus affirmare, speciem habere corpoream, ut in nomine ejus flectant genu? Vel apud inferos animas vinculis corporis liberatas, genu, quod non habent, esse flexuras? Quomodo igitur, quicumque subiectus est salvatori, flectere ei genu dicitur? Sic, qui peccati servus est, & habet spiritum servitutis iterum in timore, genu scribitur flexisse peccato. Dereliqui mihi, ait Dominus, septem millia virorum, qui non curvaverunt genua ante Baal, idolo scilicet atque peccato. Qui fornicator est, & per lupanaria scorta que discurret, libidini flectit genu suum. Qui furiosus, flexo adorat iram genu. Qui mammonam suspicit & DELLS ejus est venter, flectit genua avaritiæ atque luxuriæ. Et quid necesse est, singula peragrare? Toties Diabolo flectimus genu, quotiescunque peccamus. Atq; hæc secunda sententia contextui dictorum & scopo Pauli, qui est: demonstrare, Christum exaltatione suâ factum esse Dominum; haud inconveniens esse videtur. Ex quâ tamen si sequitur: damnatos non peccaturos esse; eadem vi sequetur, nec Diabolos hodie, nec homines ullos peccare. Perinde enim omnes generalitati vocum involvuntur. Pontificii equidem damnatos & demones negant dici posse, genua Servatori nostro flectere, cum eundem potius blasphemant, quam adorent, atque ex hoc fomite purgatorium ignem accendunt: Palam est, inquit Eccius, in Enchir. cap. de Purg. quod, qui intus subtus terram sunt, non flectunt genu in nomine JESU, sed illum potius obstinaciter blasphemant: sunt ergo in purgatorio, qui genu flectunt. Sed verò hoc non ita palam est, ne quidem propriæ religionis sociis, utpote Bellarmino, lib. I. de Purgat. c. IV. §. ut uncur



noſtri. Neque ſequitur: genu ſectunt; ergo adorant: genu enim ſectere etiam: ſubjici, ſignificat, ceu oſtenſum eſt; ſubjectio verò ſecundum Thom. Aq. Lect. III. ſuper cap. II. Phil. eſt duplex: *Una voluntaria, altera involuntaria.* Omnes angeli ſancti Chriſto ſubjiciuntur, ſed voluntariè; ſed dæmones & damnati non ſic, verum involuntariè. Rectè igitur Luc. Oſiander: *Omnes creatura ipſius poteſtati ſunt ſubjecta, ut angeli atque homines ipſum colant, Diaboli verò coram ipſo contremiſcant.* Bened. Aretius: *ſectunt genu celeſtes ſpiritus admirando, terreſtres pii invocando, ſubterranei ſpiritus & infernales metuendo.* Nec etiam abſurdum eſt, ſi quis dicat, in præſenti dicto Paulino, ſecundum Eg. Hunnium, ad h. l. *non tam, quid fiat, quam quid fieri debeat; exponi.* Quid? quod in Rom. Eccleſiâ rarum non ſit, dæmones adorare Chriſtum, aut S. crucem, aut S. Deiparam Mariam, & alios ad idem faciendum feriò & ex toto pectore cohortari. Martinus Eiſengrein, Theol. Rom. Lic. Eccleſ. Palæo-Oetinganæ quondam Præpoſitus & Acad. Ingolſtadienſis Vice-Cancellarius, edidit An. ſuperioris ſæculi ſeptuageſimo primo libellum, cui titulus eſt: *Unſer & Frau zu alten Oetinge* eodem anno refutatum à graviſſimo, doctiſſimoq; Theologo, Jo. Marbachio. Is in eo occupatus eſt, ut miraculo, noviter in expellendo è nobili virgine, operâ Petri Caniſii, ce- lebris è ſoc. Jeſu Theologi, dæmone patrato, auctoritatem Mariæ Oetinganæ, temporum injuriâ collapſam, denuo reſtauret, atq; inter alia obedientiam quoq; diaboli, orationem, virtutesq; alias mirum in modum commendat: *Auff des Jungfräuleins Anzeigen iſt jedermanñ alsobald auffgeſtanden/und hat Herr Caniſius dem Teuffel auch gebotten auffzuſtehen/und mitten in die Capell zu retten/daſelbſt das Gebett/itein den Widerruff und was ihm dann von Gott auffgeladen worden/ohnverzägenlich zuverrichten. Das hat er/wiewol er ungern daran kam/doch ſchlich thun müſſen. Iſt derohalben auffgeſtanden/ das Angeſicht von dem Altar zu der Thüren gewendet. Aber Doctor Caniſius hat ihm deſwegen zugeredet und iſſerladen/er ſolle ſich gegen dem Altar kehren; Welchem Prieſterlichen Gewalt und Befelch er ſich wol nicht widerſetzen mögen/ ſondern ſich alsobald darauff gegen dem Altar gewendet/ aber auß dem Mägdlein ganz ſämmerlich anfangen zu ſchreyen: D wehe/ D wehe/ D wehe meiner groſſen Pein. Hat auch darneben vermeldet/ es ſeye kein Teuffel in zwanzig Jahren alſo gemartert und gepeinigt worden/ als er. Nach dem nun jederman das arme geplagte Jungfräulein vor*

Dis



Diesem bösen Geist gern entlediget gesehen / hat ihme Herr Doctor *Canisius* wider mit Ernst zugesprochen und gesagt: So thue was dir befohlen ist / du böser Geist / und gib Gott und seiner Mutter die Ehre. Darauf hat der Teuffel dem Mägdlein ihre arm kreuzweys aufgespannet / und ehe er dann angefangen zubetten / zuvor zu den umstehenden gesprochen: Seht zu / ihr Christen / wir Teuffel müssen Gott und seiner Mutter gehorsam seyn und ihr wollet ihme nicht gehorsam seyn. Ist darauff auff die Knie niedergefallen und also mit aufgespannten Armen zum fünfften mal das Vatter unser gebettet: Vatter unser / der du bist in Himmeln. In die erst Wunden des Erlösers und Seeligmachers / Christi Jesu. Dann diese Wort hat er an ein jedwederes Geber insonderheit gehendet / und also das Vatter unser bis zu end gesprochen. Gleichfals auch das *Ave Maria*. Da er dann als er gesagt: Du bist voller Gnaden diese Wort dazwischen gesetzt: Dein Gnad und Barmhertzigkeit seye mit allen denen / die da seind in diesem würdigen Gotteshauß; und leslich mit diesem Anhang beschloffen: Vatt Gott für sie. Also hat er das Vatter unser und das *Ave Maria* zum fünfften mal gesprochen / und allwegen obvermelte Wort dazwischen gesetzt. Nach Verrichtung solches hat der böse Geist angefangen / die Mutter Gottes auff das höchst zupreisen und zuloben / ihre auch so hohe / herliche und gewaltige Titel / mit ganz zierlichen Worten gegeben / daß alle / so dabey waren / sich nicht genugsam darüber verwundern künnten. *D. Canisius* aber hat ihm im Nahmen des Allmächtigen Gottes mit ernst befohlen / er solle aufffahren / die Zeit seye nun vorhanden. Da hat ihme der Teuffel truglich geantwortet: Ich muß zuvor die Erden siebenmal küssen. Welches ihme vergönnet war. Und nachdem ers geküßet hatte fragte ihne *D. Can.* warum er solches thäte? Darauf er geantwortet: Der Mutter Gottes zu ehren hab ich es thun müssen / daruñ / daß ich sie also gelästert habe. Nach solchem ist er aufgefahen. Habes hic in *Eccl. Romanâ Diabolum*, man<sup>o</sup> in honorem crucis Christi complicantem, homines impios ob impietatem increpantem, flexo genu Deum Patrem atq; in hoc Filium, nõ exclusâ carne ejus, repetitâ quinquies oratione Dominicâ, & quidem in gloriam vulnerum Christi, adorantem, prototâ Ecclesia devotè intercedentem, Mariam ΘΙΟΤΙΧΟΙ mirificè prædicantem & opprobria in ipsam jacta revocantem, quinimò ob eadem Deo satisfacientem. Non immeritò devotum hoc & Papâ ipso intus & in cute πικρὸν ἄσπερον dæmonium miratur *Marbachius*.

3. Alii

4. Alii ver  
minibus  
tione my  
tantur  
terrena  
tium lic  
Ejus mem  
mus: aut  
& imperit  
& juli & p  
quicquam  
men procu  
neque ho  
habet pat  
tuos sub  
appellat p  
qui albu  
fuit mortu  
loco lita e  
per sele co  
veto inferi  
quia super  
ymz. Sina  
ubi tamen  
tim D. Mar  
Aretas, in  
vocis: na  
sub terrâ,  
compoliti  
notatione  
nonnulli  
sunt rati  
Theolog  
fertim in  
erit: ma  
angelis in



3. Alii verba: *cœlestium, terrestrium & inferorum*, allegoricè de hominibus justis & injustis intelligunt, qui vel cœlestem, consideratione mysteriorum Divinorum & sanctitatis consecratione, imitantur naturam, vel amore rerum mundanarum ad humilitatem terrenæ impuritatis deprimuntur, vel denique scelerum & flagitiorum licentiâ inferorum indolem & improbitatem trahunt. Ejus meminit Basiliius: ἢ ὅτι καὶ οἱ δίκαιοι καὶ οἱ ἀμάρτανολοι. Chryso-  
 mus: *aut & justis & viventes*, (quod vocabulum sine dubio ab alienâ & imperitâ manu accessit) *& peccatores*. Theophylactus: *Vel quod & justis & peccatores*. Quamquam verò neque ex hac sententiâ quicquam contra inferorum peccata concludi possit, longius tamen procul dubio, à vocum ἐμφάνει & textus œconomiâ recedit, neque hodie, quantum mihi constat, ullum facile inter eruditos habet patronum. 4. Theodoretus inferos interpretatur, mortuos sub terrâ in sepulcro reconditos. Tom. II. pag. 126. *Cœlestes appellat potestates, quæ sub aspectum non cadunt. Terrestres autem, homines, qui adhuc vivunt. κατὰ χθονίους autem, hoc est, eos, qui sunt sub terris, illos, qui sunt mortui*. Quamquam enim in medio mundi atque ita infimo loco sita est terra, ipsa tamen, quia magnum quoddam corpus est, per sese considerata, habet partes quasdam superiores, quasdam verò inferiores. Sicut igitur superiora terræ ἐπίγεια vocâtur à Paulo, quia supra totam existunt terram, ita inferiora, quia subtus eâ sunt κατὰ χθονίους nominantur. Quemadmodû & locum parallelû, Ap. V. 3. ubi tamen extat: ὑποκάτω τῆς γῆς, gravissimi interpretes, nominatim D. Matth. Hoë, de mortuis in sepulcro existentibus, exponunt. Aretas, in h. l. ἀντὶ τῶν πῶν ἰδρὶ ἄδ εἰς ἡδὲ δυνάτω. Nititur præfens sententia vocis: κατὰ χθονίους, proprietate, quippe quæ in literâ eos notat, qui sub terrâ, seu tellure existunt, neque alibi etiam unquam sive in compositione, sive divisim, statum duntaxat inferiorem, sine connotatione loci, ne quidem dicto, Eph. IV. 9. excepto, quamquam nonnulli aliter sentiant, significare videtur. Et certè graves hæc sunt rationes, cur hæc sententia, utut secundam potius plerique Theologorum amplectantur, cæteris anteferri debeat; cum præfertim in textu nihil prorsus repugnet. Sensus quippe tum hic erit: majestatem Christi conspectum & agnitum iri partim ab angelis in cœlo beatis, partim ab hominibus in terrâ viventibus,



partim à demortuis quidem, sed olim resurrecturis. Quod ipsum tamen impunitatem quandam peccandi non inferre, ultrò patet. III. Eo ipso quo conceditur, dæmones, damnatosque coactam Christo obedientiam, non voluntariam, præstare, peccare sponte intelliguntur. Cum obedientia lege requisita sit spontanea; quicquid autem à lege recedit, id peccatum est. Damnati enim ita Christo colla sua submitunt, eumque pro Domino suo agnoscunt, ut mallent eum prorsus non esse, vel certè sibi non imperitare; ut vellent, si fieri ullà ratione posset, subtrahere sese obsequio & excutere, justum licet, dominium. Quod verò, quantum crimen sit, nemo non animadvertit. Denique IV. si ex incessante intuitu Christi, tanquam severi judicis, sequitur, damnatos peccare non posse, tunc nec dæmones hodie, qui furorem oculorum manuumque ejus perpetuò non minus intuentur atque experiuntur, peccare poterunt, quod apertè falsum est. Quinimò hoc ipso peccant damnati & dæmones, quia DEUM non vident, nec sentiunt, nisi iratum. Quemadmodum enim ex visione DEI, tanquam summi boni, beati in cælo nonnisi quietem animi atque ex hac summum DEI amorem: ita ex visione DEI, tanquam severi judicis, damnati in inferno nonnisi animi confusionem, atque ex hac summum DEI odium haurire possunt. Contrarium enim contraria est consequentia, sicut supra aliquoties diximus.

CXXXV. Denique ad auctoritatem recentiorum Theologorum duplici ratione respondetur. I. Eidem aliorum, & quidem numero plurium, auctoritatem opponendo. Licet enim in quæstione circa fidem potius, quam de fide, salvâ religione, salvâ charitate & amicitia, ab invicem dissentire, neque tum in hoc casu majorem fidem faciunt docentium nomina, quam argumenta ab ipsis adducta. II. Nec quisquam est, qui sine omni dubitatione asseverare audeat, prorsus non peccaturos esse damnatos. Probabile saltem esse ajunt & disputari de eo in utramque partem permittunt. Quinimò ex nostris partibus nemo, ut arbitror, est, quin habituale peccatum damnatis vindicer, quod Rob. Parkerus, homo Reformatus, ex principio longè periculosissimo, & à nullo nostratium concessio, nempe exleges esse damnatos, & ratio-

tionibus alii  
facient ea, q  
rum Luther  
CXXV  
versiam n  
pari. Fac  
nostræ C  
rum, datâ  
damnatoru  
iam, duce H  
quorum con  
affundit, pa  
formata: E  
oculum ost  
cum actual  
& constit  
motus pecc  
sario sit vo  
sa promane  
Utrum omni  
tionem æter  
singula, &  
executi nece  
ficas & Po  
tatione pecc  
libus, conc  
est, refund  
ditione id  
est, peccati  
le, dum in  
tur fuerat,  
tur, veritat  
producer  
CXX  
que ad vo  
normam.



tionibus aliis, damnatis inesse audacter inficiatur. Cui rei fidei facient ea, quæ sub initium hujus discursus ex scriptis Theologorum Lutheranorum in medium produximus.

CXXVI. Longum iter hastenus emensi sumus, circa controversiam multorum opinione sterilem nimis diu & prolixè occupati. Fatemur verò, præter opinionem excrevisse meditationes nostras. Causa est, quod adversus Scholasticos & Rob. Parkerum, datâ operâ disputare animus fuerat, quorum illi actualia damnatorum peccata, præeunte Magistro, hic verò habituale etiam, duce Hug. Sanfordo, iis usi argumentis, in dubium vocant, quorum consideratio partim multis fidei articulis insigne lumen affundit, partim, ad quos tetros errores principia Romanæ & Reformatae Ecclesiæ, earundem sectatores præcipites agant, quasi ad oculum ostendit. Vertitur enim v. g. hic universus de peccato cum actuali tum originali articulus; quid propriè peccatum sit & constituat? An omnis inordinatus & contra legem tendens motus peccati rationem habeat? Utrum omne peccatum necessariò sit voluntarium? Unde peccatum, tanquam ex fonte & causa promanet? An peccatum sine peculiari gratiâ deponi possit? Utrum omne peccatum suâ naturâ mereatur mortem & damnationem æternam, ubicunque etiam locorum committatur? Quæ singula, & alia plura dum in hoc argumento rectè perpendendo excuti necesse est, quantopere extenuetur per hypotheses Scholasticas & Pontificias peccati, inprimis habitualis, natura, & quâ ratione peccandi necessitas, ipsi naturæ in puris, ut vocant, naturalibus, concreata, in DEUM creatorem, quod nefandum dictum est, refundatur, & quod denique pro diversâ status locique conditione id, quod hodie abominandum oculis Divinis flagitium est, peccati indolem exuere & amittere omnem possit reatum, sole, dum in meridie lucet, clarius simul innotescit. Necesse igitur fuerat, ut hi tanti errores non obiter, sed studiosè refellerentur, veritas verò cœlestis, quam labefactari nefas est, in apricum produceretur.

CXXVII. Præterea de verâ ratione boni malique, an utrumque ad voluntatem DEI, tanquam ultimam & fundamentalem normam, an verò ad ipsam sanctissimæ & optimæ in sese naturæ



Divinae proprietatem exigendum sit? Unde utrumque, tanquam ex principio formali & manifestativo, immotè cognoscendum? Quousque lex naturæ aut moralis hominem obliget? Et utrum æternæ sit ac immutabilis veritatis? & quæstionum ejusmodi aliarum, quarum cognitio prorsus necessaria est Theologo, copiosum nobis instituendum fuerat examen; ut quanta sententiarum monstra Theologia Reformata circa bonum, malumque, solâ <sup>theologia</sup> rationale, & in se prorsus indifferenti alar? quâ lex naturæ rationali intimè & essentialiter inhærens in constitutionem liberrimam & qualibet horâ mutabilem convertitur, neque nisi eos obligat, qui in præsentî vitâ constituti præstare ea, quæ legis sunt, facile possunt; ex solidis fundamentis pateret. Id verò perfunctoriâ duntaxat operâ agi non poterat, nisi perpetuos in legentiû animis scrupulos relinquere & dubitationibus ansam ampliorem præbere voluissimus.

CXXVIII. Taceo plurima S. Lîterarum, eaque illustria, loca, quæ ab affectis interpretationibus liberanda & vero, genuinoque sensui restituenda fuerant. At verò quid jucundius, quid utilius, aut quid magis necessarium est Theologiæ studioso, quam in adyta sanctissimorum Dei eloquiorum penetrare, & quid vel veteres vel recentioris ævi Doctores in sermones Divinos meditati fuerint? quomodo in spiritum DEI inquisiverint? & quæ denique cujuslibet loci, non ementita aut spuria, sed germana sit ac sincera sententia? ex indole linguarum & internis cuilibet textui argumentis, perscrutari? Qui, cum in Scripturæ quoddam oraculum incidunt, exteriora solummodo ejus, ut canis è Nilo, degustant, nec, quem verborum contextus requirat, sed quis esse ex commentitiis humani cerebri imaginationibus possit, sensum, velut aliud agentes, proponunt, ludere mihi in re seriâ videntur & veritatem prodere potius, quam lectori, ejusdem cupido, instillare.

CXXIX. Denique, quod palmarium est, exemplo analyseos Logicæ, juventuti Scholasticæ, in examinandis adversariorum quorumlibet argumentis, quo studio certè nihil uspiam utilius est, præeundum fuit. Quod verò hoc feliciter ea in materia fieri potest, in qua frequentior occasio est, sive in facultate *ἐπιμαντιῶν*, si-



ve in adversariorum sententiis rectè cognoscendis, sive in fundamē-  
dis fidei dogmatibus, sese exercendi. Quam ad rem campum  
certè hic patentissimum aperiri, rationum utrinque adductarum  
multitudo, ne de cœteris quidquam dicamus, uberrimè demon-  
strat.

CXXX. Promovemus igitur nunc pedem; cumque semel  
placuerit, de damnatorum statu, quoad actiones ipsorum pravas  
quidpiam commentari, non inutile fore arbitramur, si hanc exer-  
citationem prosequentes, an aliquid damnati, & quid universim  
acturi facturique sint, quantum ex indubitatis S. Literarum fun-  
damentis scire fas est, inquiremus. Quemadmodum enim pas-  
siones damnatorum idèò revelavit S. pagina, ut earundem crude-  
litate intuentes, fugere infernalem hunc carcerem discamus;  
Gregorius M. lib. IX. Mor. c. XI. Tom. I. p. 340. *Prodest, quæ manent  
peccatores tormenta, cognoscere, ut ad hoc demus operam, ut possimus evadere.*  
Hom. XL. in Ev. Tom. II. p. 532. *Ante supplicia cogitandum est de sup-  
plicio.* Augustinus, in speculo peccatoris, Tom. IX. p. 1013. *Felix  
esse comprobatur, qui sic cogitat de supplicio ante supplicium, ut postea supplicii  
effugiat periculum.* Ita haud minus actiones eorundem fœdas, vel  
potius actionum quarumvis vitalium horrendam oculis nostris  
depravationem in conspectum sistit, ut territi ipsa earundem tur-  
pitudine, tam immane, tam miserum, tam perditum vitæ genus,  
cane pejus & angue vitare assuescamus. Quis enim, non movea-  
tur dum horribilem damnati intellectus excœcationem intuetur,  
dum voluntatis abominandam distorsionem, dum perversam af-  
fectuum omnium & cupiditatum conturbationem, dum deni-  
que actionum hinc proficiscentium propudiosam deformitatem  
animo suo volvit, quæ singula damnatos in censum monstruosissi-  
marum belluarum redigunt & humanitatem in ferinam rabiem  
transformant; ut, quantum in se est, id omni animi nisu abhor-  
reat, quod tam abjecti miserique status causa existit? Eximia o-  
ratio est, quâ Sanctus Præsul, Chrysostomus, infernalis conditio-  
nis accuratam meditationem commendat, quæ, quamquam pro-  
lixa sit, prolixum tamen studium nostrum, in examine actionum  
& pœnarum infernalium occupatum, ab impactâ forte ei culpâ  
eximet, si huc transcripserimus. Ita ille, Hom. II. in II. Thess. I.



Tom. IV. p. 1404. ad verba Apostoli: In incendio flammæ, vindictam in eos exercentis, qui DEum non cognoverunt & qui Evangelio Domini Jesu non obediunt; scribit: Nos vel hoc pacto consideremus, quæ in regno DEI sint bona & quæ in gehennâ mala; atque ita nos ipsos corrigamus & instruamus, ita nos ipsos, ad ea, quæ faciendâ sunt, incitemus & permoveamus. Si videris in presenti vitâ jucundum quid, ac magnificum, cogita regnum DEI, & istud nihil esse putabis. Si terribile quid videris, cogita gehennam, & illud etiam deridebis. Si quando te ceperit concupiscentia corporalis, cogita gehennæ ignem; cogita, quam planè nullius estimanda sit peccati voluptas, quam ne voluptatem quidem habeat? Si enim earum legum, quæ in hoc seculo posita sunt, tantum potest metus, ut à malis nos actibus cohibeat, multo magis poterit hoc recordatio futurorum, supplicium immortale, pœna sempiterna. Si metus terreni regis à tantis nos malis abducit, quantum magis regis æterni? Unde poterimus ergo continuum habere timorem? Si continuè Scripturas audierimus. Etenim si aspectus duntaxat mortui hominis mentem nostram aded pavore contrahit: quantum magis gehenna & ignis ille inextinguibilis? quantum magis vermis non moriens? Si perpetuò gehennam recogitarem, non statim in illam incideremus. Propterea supplicium minatus est DEus. Nisi aliquid profectus in se haberet gehenna reputatio, utique jam non esset illam minatus DEus. Verum quoniam illius recordatio magna potest efficere, propterea comminationem illius, quasi salutare quoddam pharmacum animis nostris imposuit. Ne contemnamus itaque tantum lucrum, quod hinc generatur, sed hanc gehennæ comminationem indefinenter versemus, in prandiis & conviviis. Sermocinatio quippe, quæ de rebus est jucundis, nihil prodest animæ, sed debiliorem eam reddit: quæ verò de tristibus est & austeris, quicquid in illâ dissolutum ac fluxum fuerit, amputat ac immutat, laxamque illam ac mollem contrahit. Nihil eam juverit, de theatris disserens ac mimis, sed magis incenderit ac petulantio rem effecerit. Qui aliena curat ac curiosè scrutatur, etiam pericula illi ex eâ curiositate sæpe numero infligit: qui verò de gehennâ sermocinatur is neque periculum aliquod habebit & animam castigatiorem reddit. Sed vereris verborum gravitatem & molestiam? Num. si de gehennâ tacueris, hinc illam extinxisti? An incendiisti, si de eâ locutus fueris? sive locutus de illâ fueris, sive minus, servebit omnino incendium. Indefinenter de illâ dicito, ne quandoque in eam incidas. Non potest fieri, ut anima de gehennâ sollicitè cogitans citò peccet. Etenim audi admonitionem optimam: memor, inquit, esto novissimorum tuorum, & in æternum non peccabis. Nequit

quod anima  
enim, si  
linguet.  
cogitatio de  
expurgat  
que postea  
tempores f  
nunc mihi  
oculos habet  
nam effugit  
juvare non  
ita & hic.  
sent. Qu  
ti fuissent.  
domita, fi  
est, contem  
venciam.  
gento nob  
curiam  
li distabat  
est. Sunt  
liqua me  
adferant.  
cuntur, ut  
ne supplic  
Lai merita  
bonaque di  
tum tot  
Christian  
num in in  
bulum:  
tur amp  
stra in a  
tuerit,  
CX  
Gatus, q



quit anima pœnas metuens, non esse ad delinquendum contabunda. Timor enim, siquidem robustus fuerit in animo ac flagrans, nihil in eo mundani relinquet. Si enim sermo de gehennâ factus ita humiliat & pavidum reddit, ac cogitatio de illâ, animis perpetuò immorata, animam non quovis igne magis expurgabit? Regni non ita recordemur, ac gehenna. Timor enim promissione potentior est ac efficacior. Et novi plures innumera bona promissa contempturos fuisse, si de supplicio securi fuissent ac liberati, quandoquidem & nunc mihi satis est supplicii, pœnâ non affici. Nemo eorum, qui gehennam ob oculos habent, in gehennam incidet; nemo gehennam contemnentium gehennam effugiet. Quemadmodum enim apud nos, qui quidem judicia metuunt, judiciis non sunt obnoxii, qui verò contemnunt, illi potissimum in ea incidunt: ita & hic. Nisi subversionem veriti fuissent Niniuita, utique subversi fuissent. Quia verò illam metuebant, non subvertebantur. Si diluvium veriti fuissent, qui temporibus Noë vixerunt, submersi sanè non fuissent. Et Sodomita, si incendium metuisent, combusti non fuissent. Magnum malum est, contemnere minas. Qui minas contemnit, confestim reipsa sentiet experientiam. Nihil ita est utile, atque de gehennâ sermocinari. Quovis argento nobis mundiores animas facit. Audi namque, quid propheta dicat: quoniam judicia tua, inquit, in conspectu meo sunt. Et Christus quoque de illâ disputabat. Nam etiamsi molestum sit auditori, plurimum tamen illi prodest. Sunt enim talia, quaecunque utilia sunt. Etenim & pharmaca & reliqua medicamenta egrotum primò male habent, & tunc demum utilitatem adferunt. Et post multa hoc genus: Ne fugiamus, quæ de gehennâ dicuntur, ut gehennam ipsam effugiamus. Ne fugiamus supplicii memoriam, ne supplicio puniamur. Habeamus gehennam ob oculos, cogitemus pœnas illas inevitabiles, ut his reputatis & malitiam fugiamus & virtutem eligamus, bonaque diligentibus Deum promissa assequi valeamus. Habes hic firmatum tot tantisque argumentis id, quod diximus: conducere in Christianismi exercitio plurimum solidam & studiosam actionum in inferno passionumque, (quod utrumque generale vocabulum: Gehenna, complectitur) considerationem. Non igitur amplius reformido objicientium curiositatem, quasi opera nostra in argumento ad publicum commodum utiliori occupari poterit, debueritque.

CXXXI. Bias apud Diogenem Laertium, in Vitâ ipsius, rogatus, quid apud inferos esset, quidque ibi rerum ageretur: Nec

ego



ego, inquit, *ed unquam iri, nec cum quoquam illinc reverso sum collocutus.* Fertur equidem & ex antiquis patribus quidam interrogatus: quid in inferno agerent damnati? curiositatem sciscitantis ita castigasse, ut, quæ ad ipsum non pertinerent, indaganda non esse, sed adhibendam operam, ne apud inferos agere aliquando necesse haberet, respondisse. Quæ responsio haud certè mihi absimilis videtur ei, quâ quis quærenti: quid in cælo acturi sint salvati? diceret: perquirenda hæc non esse, sed in id incumbendum, ut inter cœlestes aliquando versemur. Quemadmodum enim actionum cœlestium pulcritudo, & ex his orta mira animi corporisque oblectatio, ad hoc ipsum nos extimulat, ut pro viribus adlaboremus, ne cœlesti gaudio quondam excidamus: ita actionum infernalium deformitas & ex his proveniens animi corporisque cruciatus, ad hoc ipsum nos excitat, ut, quâ fieri potest, operam demus, ne in infernali hoc carcere quondam latitemus. Neque verò video, cur non & percontanti: quid in inferno patiantur damnati? idem possit regeri: cavendum potius esse, ne in has aliquando passiones præcipitemur. Quo uno respondendi compendio, quicquid Scriptura Divina sive de cælo sive de inferno, vel ad informationem vel ad *παιδείωσιν* nostram scire nos utile judicavit, tanquam supervacaneum rejicies & quadam quasi liturâ delebis. Fatear equidem, quicquid de damnatorum actionibus inquirenti, extra Scripturarum sanctarum irrefragabilem auctoritatem responderis, inutile & curiosum esse: nec enim Christiano homine dignum est, sapere supra id, quod DEI spiritus sapere nos jussit; at verò, quicquid præviâ S. Literarum luce de quocunque argumento cognoscere licet, indignum Christianâ diligentia est, nescire velle. Quod enim Divina sapientia haud supervacuum judicavit, ut manifestaret, & in literas, ad omnia secula æternaturas, referret, id neque stoliditati nostræ vanum & sine fructu videri debet, meditari & in usum nostrum transferre.

CXXXII. Frustra igitur fuerint, qui in gentilitiis tenebris, actiones inferorum rimati fuerunt; velut Orpheus, ad Ægyptios idèd profectus: *ἑρφέα γὰρ τῶν μουσικῶν τελετῶν τὰ πλεῖστα καὶ τὰ κατὰ τὴν ἑαυτοῦ ψάλλον ὀργανίζόμενα, κατὰ τὴν τῶν ἐν ἀδύμυθοπόλειαν παρὰ αἰγυπτίων ἀπινύχαυδ' ἰσορῶσιν:* ex Diodoro ait Eusebius, libr. X. Evang. Præp. c. IIX, in ed. Lutet.

pag.



pag. 282. Et Homerus, quem idem Diodorus testatur, Ἐὐφείας ἔτε  
καταδείξαντες, παρὰ τοῖς Ἕλλησι ἀναγνώδως τὰ τῶν θεῶν καὶ τῶν ποιησῶν; quemad-  
modum & de Cebete Thebano, quod ἔστιν ἐν ἀδύτοις δίνουσι, & de Demo-  
crito, quod librum, de iis, quæ fiunt apud inferos, scripserit, Diogenes  
Laertius auctor est: Plato verò in Timæo, Gorgiâ & Phædone,  
ut & cæterorum apud veteres gentiles Poëtarum & Philosophorū  
pleriq; inferorum statum studiosissimè describūt, quorum fabulas  
de inferis, de Plutone, de Acheronte, de Styge, de Cocyto, de Cha-  
ronte, de Cerb. de Parcis, de Minoe, de Rhadamantho, de Æaco, de  
Eumenidibus, de Tartaro, de Nocte, de Somno, de Morte, de He-  
cate, de Proserpinâ, de Lunâ, de Dianâ, de Campis Elysiis, de Le-  
the, toto libro tertio Mythologias diligenter collegit doctissimus  
Natalis Comes. Nunquam enim hæc somnia, hæc veluti sua-  
viter indormientium commenta, vel sanæ etiam rationi persuaseris,  
quippe quæ figmenta isthæc rejicit & ridet. M. T. Cicero in  
Quæst. Tuscul. *Permanere animos arbitramur, consensu nationum omni-  
um; quali in sede maneant, qualesque sint, ratione discendum est, cujus igno-  
rancia finxit inferos, easque formidines, quas tu commemorare non sine causâ  
videbare. In terram enim cadentibus corporibus, his humo tectis sub terram  
censebant reliquam vitam agi mortuorum.* Oratione pro Cluentio:  
*Quid tandem illi mali mors attulit? nisi fortè ineptiis & fabulis ducimur, ut  
existimemus, illum apud inferos impiorum supplicia perferre, à focrus, à fra-  
tris, ab uxorum necatarum pœnis, actum esse præcipitem in sceleratorum se-  
dem atque religionem. Quæ si falsa sunt, id quod omnes intelligunt, quid ei  
tandem aliud mors eripuit, præter sensum doloris?* Sallustius in Cicero-  
nem: *ut aliqua in vitâ formido improbis esset posita, apud inferos ejusmodi  
quædam illi antiqui supplicia impiis constituta esse voluerunt: quod videlicet  
intelligebant, his remotis, non esse mortem ipsam pertimescendam.* Quo &  
vetus collimat proverbium: τὰ ἐν ἀδύτοις; quo mendacem alicujus  
inveteratæ opinionis vanitatem coarguerunt. Non tamen ideò,  
quod cœcutientes isti & Divini verbi luce destituti gentiles à ve-  
ritatis viâ, tenebris obrutum habentes intellectum, Ephes. IV. 18. aberrarunt,  
& ἐν τοῖς διαλογοῖς αὐτῶν ἐμπαρούθησαν καὶ ἐσκοτίθη ἡ ἀσύνετος αὐτῶν  
καὶ ἐδίω, Rom. I. 21. ex sacrarum literarum lumine, quod est lucerna  
pedibus nostris & lumen semitis nostris, Psalm. CXIX. 105. quantum il-  
lud nobis revelat, inferorum doctrinam, & quæ regni illius cives



sive acturi sunt sive passuri, cognoscere & scrutari haud licebit. Quid? quod in progressu disputationis nostræ, non omnia fabulas esse, quæ veteres isti in ipso gentilismo tradiderunt, sed divinæ veritatis acceptas, per traducem manum à Chaldæis, Ægyptiis & Hebræis particulas, luculenter ostensuri sumus. Sicut ergo ex iis, quæ de DEO & rebus Divinis, de Sacrificiis, de Fæstis & id genus religionis nostræ mysteriis, scripsere gentiles, quantumlibet falsis vera & veris falsa mista sint, rectè tamen veritatis aliquod vel argumentum vel indicium promimus, operamque in hac re occupatam amplectimur & commendamus: ita haud minus ex iis, quæ de inferis scripserunt prisca illi sapientes, quorum vel sola antiquitas meritò nobis venerationi est, veritatis sectari vestigia, & secundum Gregorium Nazianzenum, *quæ philosophi, (fuerunt autem Poætæ summi gentilium philosophi, & quasi παρρησιῶν) vera dixerunt, ab iis, tanquam injustis possessoribus vindicare licebit.* Quæ de re iuendum est legere disputationem octavam Clar. quondam viri, J. M. Dillherri, Tom. I. p. 251. Et Dedic. Tom. Nov. p. 2. & denique p. 401. seq.

CXXXIII. Quæcunque igitur præviâ Scripturæ luce de statu hominum infernali discere integrum est, ea & sciri posse & sciri debere, ex hæcenus dictis evidenter constat; cætera verò, quæ conjecturâ potius assequi, quam valido argumenti nexu cognita habere licet, quamquam parè veritatis robore non polleant, modestius quidem asseveranda sunt, non tamen simpliciter rejicienda. Nam & eorum, quæ cum aliquâ tantum verisimilitudinis specie disputantur, si cæteris, quæ evidenter revelata sunt, non repugnent, non esse nullum usum, quotidiana nobis argumenta demonstrant. De quibus idè cum Augustino, Enarr. Psalm. LXXXV. Tom. IIX. p. 948. dicimus: *Quod dicimus, fratres, hoc si non vobis tanquam certus exposuero, ne succenseatis. Homo enim sum, & quantum conceditur de Scripturis sanctis, tantum audeo dicere; nihil ex me. Infernum nec ego expertus sum adhuc, nec vos. Et forsatis alia via erit, & non per infernum erit. Incerta sunt enim hæc. Verum dicit Scriptura, cui contradicere non potest: eruisi animam meam, ex inferno inferiori.*

CXXXIV. Quibus tamen & hoc adjiciendum est, tanquam indubitatum; Scripturæ auctoritate niti non id tantum, quod

quod te  
compl  
tum, c.  
Ex quo  
nach  
marum  
referri ad  
tere: et  
p. 146. i  
gument  
in Roma  
constit  
Apostoli  
cut, nec  
stagnu  
stantu  
nilitat  
claris,  
mediu  
as fide  
nescire  
inferna  
enim ev  
tim ob  
non ad  
nobis p  
consuet  
su tract  
stis, lice  
Augusti  
dicit de  
non dicit  
candam  
sua non  
quia in  
servend



quod totidem verbis illa asseverat, sed & quod virtute & *divinis* complectitur. *Divina auctoritas*, ait Augustinus, contra Adimantum, c. XVI. in *Scripturis interdum occultatur, ut obscuris lector exerceatur*. Ex quo loco haud certè inconcinnè Anastasius Cocheletius, Monachus Carmelita, adversus Jo. Polyandrum, Doctorem Reformatum colligit, *licere aliquando in rebus Theologicis, cum exempli causâ, de inferni abstrusis, quamquam non ad curiositatem, tamen ad exercitium inquirere*: etsi nec injuriâ ei regerat Polyander; Disp. III. de Loc. Inf. p. 146. istud exercitium non debere destitui qualibuscunque argumentis, nec Scripturæ clariori adversari, quemadmodum fiat in Romanâ Ecclesiâ, circa determinandum inferorum locum & constituendas varias eorundem sedes: *Propheta enim*, inquit, & *Apostoli spatium oræ infernalis à vestigio ad verticem, nunquam, nec perspicuè, nec obscurè, nobis transcripserunt*. Quapropter ineptè faciunt, qui hujus stagni profunditatem omnibus vestigiis indagant. Hoc enim, ut monet Lactantius, est modum conditionis suæ transgredi, nec intelligere, quousque homini liceat accedere. Quo respiciens Nazianzenus: in iis, inquit, quæ Deus celavit, malo esse ignavus, quam curiosus. Et si utrumque fugere oportet & medium attingere non licet, in his timidior videri quam audacior. Nempè ut scire scripsit V. C. Josephus Scaliger: nescire velle, quæ magister maximus nescire nos vult, erudita inscitia est. Sed verò in argumento actionum infernalium non deesse nobis partim rationes evidentes, (quid enim evidentius est, descriptâ Lucæ decimo sexto historiâ?) partim obscuras, ut vocat Augustinus, quibus ingenium nostrum, non ad satiam curiositatem inanem, sed ad promovendam in nobis pœnarum infernalium formidinem, ut inde à peccandi consuetudine & libidine avocemur, exercituri sumus, in progressu tractationis hujus docebinus. Occupati fuere alii in manifestis, liceat igitur nobis quoque obscuris indagandis operam dare. Augustinus, libro I. de Doctr. Christian. c. VI. *Obscurè quedam dicta densissimam caliginem obducunt. Quod totum provisum divinitus esse non dubito, ad edomandam labore superbiam & intellectum à fastidio revocandum, cui facile investigata plerumque vilescunt. . . . . Qui prorsus non inveniunt, quod quaerunt, fame laborant. Qui autem non quaerunt, quia in promptu habent, fastidio saepe marcescunt. In utroque autem languor cavendus est. Magnificè igitur & salubriter Spiritus Sanctus ita Scripturas*



*sanctas modificavit, ut locis apertioribus fami occurreret, obscurioribus autem fastidia detergeret. Nihil enim ferè de obscuritatibus eruitur, quod non planissime dictum alibi reperitur.*

CXXXV. Damnatorum vox, quod subjectum est tractationis nostræ, *πολιτικὸν* est, neque uno ubique modo accipitur. Nam primò, cum quis vel in civili societate ab eo, qui majestate gaudet, sive ad pecuniariam multam, sive ad pœnam corporis: vel in Ecclesiæ cœtu, à DEO, aut eo, qui DEI vices gerit, damnari possit, ultrò patet, damnationem vel civilem esse, vel Ecclesiasticam. Sic Cicero Oratione in Verrem: *Nevius injuriarum damnatus est.* Epist. ad Attic. *Lepidus positis armis de vi damnatus est.* Pro Flacco: *Nicomedes & furti & pro socio damnatus est.* Amosus Propheta, c. II. 8. *Vinum* *οἶνον*, juxta Vulgatam: *damnatorum bibebant in domo DEI sui*, hoc est, interprete Imm. Tremellio: *de spoliis eorum, qui iniuste damnati fuerunt, epulum Diis suis faciunt, palamque inter se convivantur.* Latro alter ad latus crucifixi Christi ad alterum: Lucae XXIII. 40. *Neque tu times DEUM, quod in τῷ αὐτοῦ κέλευματι, in eadem damnatione es.* Syrus: *Qui etiam in ipso es judicio; Tremellius: hebraicus est: in eadem es condemnatione.* Sed de præsentî damnatione, deque hunc in modum damnatis controversiam hic & sermonem nobis nullum esse, omnes dubio procul, nobis etiam non momentibus, facile animadvertunt.

CXXXVI. Qui verò in Ecclesiâ damnantur, illi Divinum judicium super commissa à sese peccata subeunt, pœnisque peccato debitâ addicuntur. Judicis hic *αὐτοκράτορα* officium sustinet severissimum justissimumque Numen, quod sententiam suam, immediato Spiritus sui ductu dictatam, scriptoque infallibili comprehensam, quandoque hominum ministerio dici evulgarique curat, quandoque dicit & profert ipsum. Lex à DEO sancta hæc est: *quicumque non facit omnia legis, est maledictus.* Deuteron. XXVII. 26. Et: *quisquis non crediderit, damnabitur.* Marc. XVI. 16. Damnatus igitur lege omnis is est, qui peccat, quique non credit. Quâ tamen in duplici damnationis causâ hoc est differentiæ, quod omne quidem peccatum damnationis meritum, sola autem infidelitas actum damnationis conciliet. Ex quo & ipsa damnatorum vox hoc discrimen trahit, ut aliquando eos notet, qui obli-



gatione quidem ex merito peccati ad pœnam condemnationis tenentur, ab actuali tamen pœnæ perpeſſione per fidem, vel certè à neceſſitate pœnas perpetuendi per Chriſti meritum ſunt liberati; quo ſenſu omnes poſt lapſum homines damnati ſunt, quia *per unius caſum una damnatio in omnes* tranſiit, Rom. V. 18. aliquando verò eos, qui ob infidelitatem actu ad damnationis pœnam tenentur conſtricti. *Qui non credit, jam judicatus eſt, quia non credit in nomen Filii DEI, unigeniti.* Joh. III. 18. Quam differentiam in Enchiridio inſinuat Auguſtinus, c. LI. inquit: *Veruntamen quod paulò poſt dicit: ſicut per unius delictum in omnes homines ad condemnationem: ita & per unius juſtitiam in omnes homines ad juſtificationem vita: ſatis indicat, ex Adam neminem natum niſi damnatione teneri: & neminem niſi in Chriſto renatum à damnatione liberari.* Porro actualis hujus damnationis ſententiam in incredulos & contumaces vel univerſa fert Eccleſia, in juſto legitimoque Concilio congregata, quemadmodum ita damnati ſunt Arius, Neſtorius, Eutycheſ & infiniti alii, cujus ſolennis formula eſt: *anathema! anathema!* vel ordinarii Eccleſiæ miniſtri, quibus mandatum eſt, errores pariter atque pertinaciter errantes reſellere, & quæ damnatio, niſi reſipiſcant, ipſos maneat, ante oculos mentis adducere; vel denique propria cujuſlibet errantis conſcientia, quæ quemlibet damnationis ſuæ convincit; quo ſenſu Paulus hæreticos vocat *ἀποπειθεῖς*, Tit. III. 11. *Vulg. proprio judicio condemnatos.* Atqui de his omnibus ſinguliſque hunc in modum & in præſenti ſeculo ab hominibus quidem, ſed tamen ad legis Divinæ regulam condemnatis, nulla nobis quæſtio eſt, nulla diſquiſitio.

CXXXVII. Succedet verò damnationi ob incredulitatem in hac vita latae, alia longè gravior in alterâ, cujus ſententia decretoria & irrevocabilis ex ipſo Divinæ majeſtatis ore prodibit. Sed & hæc duplex eſt: una in animam, quam primum ex infelici corpore fugit indignata ſub umbras, in judicio DEI particulari, altera in hominem integrum, ubi conſociata denuò per reſurrectionem fuerit corpori anima, in judicio extremi diei univerſali ſtringetur. Quamquam enim non deſint magna in veteri Eccleſia nomina, inque recentiori ætate viri ſine controverſâ doctiſſimi, qui deſunctorum animas citra diſcrimen omnes, ſive bonas ſive



malas, sive fideles sive incredulas, postquam hinc ex corporibus discesserunt, in locum quendam à cœlo atq; inferno tertium, què illi Sheol, id est, commune animarum omnium receptaculum vocant, deferri, inque eo quodammodo dormire, neque ordinariè actus vitæ secundos ullos habere, quousque cum corporibus iterum uniantur, docent; quorum sententiam & argumenta ex Scripturâ Sacrà, ex antiquissimâ traditione Ecclesiæ & consensu omnium nationû & gentium, novissimè accurato iudicio collegit, doctissim<sup>o</sup> certè Anonymus, in Seriâ Disquisitione, de statu & loco & vitâ animarum, postquam discesserunt à corporibus, præsertim fidelium: nefas tamen nobis est, à receptâ communiter sententiâ, quæ animas credentium à primo statim discessus sui momento æternam ingredi beatitudinem & cœlesti frui salute, S. Scripturæ & vetustissimæ pariter Ecclesiæ auctoritate nixa, asserit: *beati, qui moriuntur in Domino, à παρτι, à presenti tempore, Apoc. XIV. 13. & contrariò non credentium animas, quamprimum corporum suorum domicilia deseruerunt, infernali loco pœnisque adjudicat: dives enim mortuus in inferno existit & in cruciatibus. Luc. XVI. 23. quæque in praxi etiam, sive ad impertiendum pressis in hoc mundi ergastulo fidelibus solatium, sive ad terrorem consceleratis incutiendum, aptior est, discedere. S. Irenæus, lib. II. adv. Hær. c. LXIII. Per hæc manifestissimè declaratum est & perseverare animas & non de corpore in corpus transire, & dignam habitationem unamquamque gentem percipere, etiam ante iudicium. Idem vetustissimus Pater, lib. IV. c. XLIII. Qui exurgunt contra veritatem & alteros adhortantur adversus Ecclesiam DEI, remanent apud inferos, voragine terræ absorpti, quemadmodum, qui circa Core, Dathan & Abiram. Ad quæ loca Fr. Fevardentius, in Not. p. 151. His apertissimè indicatur, quam procul fuerit Irenæus ab illorum sententiâ, qui beatorum spiritus, ante supremum iudicium, beatâ Dei visione prohibuerunt, quod & infra facit, dum Dathan, Core & Abyran apud inferos manere, cum Scripturis confirmat. Justinus Martyr, Quæst. LXXV. p. 264. Μετὰ τὴν οὐρανὸν ἑσώματ' ἔξοδοι δὲ θύρας (exprimit emphasin vocis ἀπέρτι) γίνεται τῶν δικαίων τὴν καὶ ἀδικῶν διαστολὴν ἄγονται γὰρ ὑπὸ τῶν ἀγγέλων εἰς ἕξίους αὐτῶν τόπους, (Macarius Æg. Hom. XXII. εἰς τὴν ἰδίον εἶρεσ', alludens ad Act. 1.25.) αἱ μὲν τῶν δικαίων ψυχαὶ εἰς τὸν παράδεισον, ἡ δὲ συντυχία καὶ θάλασσα, conversatio & visio, ἀγγέλων τε καὶ ἀρχαγγέλων κατ' ὁπτασίαν δὲ καὶ ἑσώματ'.*



τῆς ἡμετέρας, κατὰ τὸ εἰρημῖνος ἐκδημῶντις ἐν τῷ σώματι καὶ ἐνδημῶντις πρὸς τὸν κύριον  
 (ex II. Cor. V. 8.) αἱ δὲ τῶν ἀδίκων ψυχὰς εἰς τὰς ἐν τῷ αἵματι πάσας, κατὰ τὸ εἰρημῖνον  
 πρὸς τὸ Ναβυχοδονόσορ βασιλῆος βαβυλωνίου, ὁ αἵματις κάτωθεν ἐπιπροσέθη συναντήσας σοὶ  
 καὶ τὰ ἑξῆς. Quibus Basilium M. Cyrillum Hieros. Epiphanium,  
 Hieronymum, Fulgentium & Athanasium associat C. V. Jos.  
 Arndius, in variae eruditionis opere, Lexico Antiquitatum Eccle-  
 siasticarum. Tit. *Animarum status post mortem*, p. 5. f. Ubi & cœte-  
 rorum Patrum fideliter recenset sententias. Marc. Anton. de Do-  
 minis, quo antiquitatis vix quisquam peritior fuit, lib. V. de Rep.  
 c. II. §. 75. *Circa statum animarum tres invenio opiniones. I. Animas*  
*post mortem neque gaudere neque tristari, sed dormire ad usque resurrectionem.*  
*II. Animas post mortem statim vel ad beatitudinem plenam transire,*  
*vel ad plenam damnationem. III. Expiari in purgatorio.* Quibus ipse  
 quartam & mediam addit: *animas electorum ad eternam gloriam sta-*  
*tim transire, eaque frui, non tamen plenè; sic & damnatorum, usque donec*  
*fiat resurrectio.* Quem sequuntur D. Conr. Horneius, D. Georg.  
 Calixtus, D. Christ. Dreierus, aliique passim. Quod si verum  
 est, impiorum animas, corporum suorum vinculis solutas, infer-  
 num statim adire & pœnis ei loco propriis torqueri, non minus de  
 actionibus harum animarum in inferno, quam de integri hominis  
 negotiis quæri posset; sed, ne in disceptationem à proposito no-  
 stro alienam dilabamur, hanc pilam aliis torquendam ac retor-  
 quendam relinquimus & à præsentì concertatione prorsus absti-  
 nemus.

CXXXIX. Restat ergo, eos duntaxat à nobis considerari  
 damnatos, qui in extremo iudicii universalis die, postquam vir-  
 tute Divinâ è sepulcris suis surrexerunt, redunitâ iterum cum  
 corpore animâ, coram horrendo tremendi iudicis tribunali com-  
 parentes, sententiâ, à Domino pronunciatam audient: *ne, ma-*  
*ledicti, in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & angelis ejus.* Matth.  
 XXV. 41. Quo tamen ipso sensu damnatus vel actum notat vel  
 statum, id est, vel in vi participij vel in virtute nominis accipitur.  
 Cum enim homo damnatus, secundum actum damnationis præ-  
 cisè, consideratur, tum, quæ in extremo iudicio circa illum con-  
 tingunt, utpote, quod unâ cum cæteris hominibus è mortuis su-  
 sciratur, ad thronum Divinum adesse iubetur, à fidelibus segrega-  
 tus



tus ad sinistram Christi collocatur, causa ejus publicè atque solenniter cognoscitur, cumque, quod respondeat, non habeat, sententia mortis in illum dicitur & promulgatur, denique ab angelis in locum sulphureis ignibus plenum, æternum ibi cruciandus atque cremandus, projicitur, solummodo expenduntur. Quæ tamen singula ab argumento & scopo nostro aliena sunt, qui eò duntaxat dirigitur, ut examen instituat status & conditionis, in quam, sententiâ illâ ultimâ condemnati, præcipitantur, & in quo ex justissimâ Dei voluntate in æternum perseverant.

CXXXIX. *Status* conditionem, fortunam, ordinem, locum, casumque cujusvis rei denotat, neque forte aliud vocabulum est, quo commodius id exprimamus, quod rei proprium est, quodque ei vel competit vel competere debet. Cumque stare propriè pedes dicamus, qui reliquam corporis molem portant & sustinent, statum quoque eadem proprietate de standi actu enunciabimus, quo sensu Cicero *statum erectum & celsum, rarum incessum, nec ita longum* vocavit, in Oratore. Atque deinde, similitudine à corporis statu & conditione desumptâ, status appellatus est omnis, in re etiam animum concernente & morali, conditio. Quam ad metaphoram idem Romanæ eloquentiæ princeps, Tullius, libro de Officiis alludit, cum inquit: *utinam respublica steterisset, quo steterat, statu!* Hinc status orbis terræ, status naturæ, status imperii, status vitæ, status sermonis, status cæli & terrarum, status rerum, status familiaræ, passim apud eundem, pro modo, lege, ratione, pacto, jure talium rerum. Latinus V. Test. interpres status voce expressit hebræum: מַצְבֵּי, quod summam, *mensuram, formam, dispositionem* significat. II. Paral. XXIV. 13. *suscitaverunt domum domini in statum pristinum;* alii: *in formam suam.* Et verbum: יָצַב, *stetit,* Job. XIV. 2. *in eodem statu manet;* pro quo Joh. Mercerus: *perstat, stabilis est,* dixit, eò quod natura & conditio cujuslibet rei ita ei conveniat, ut in eadem stare & perseverare ex intentione & voluntate creatoris debeat. In Nov. Test. eodem profus sensu, quamquam semel tantum, vox: στασις, occurrit, ceu Hebr. IX. vers. 8. *ἐν τῆς παλαιῆς σκηνῆς ἐχούσης στασις,* quod Vulgatus ad verbum reddidit, *adhuc priore tabernaculo habente statum:* quamquam alii cum Syro per *durationem,* alii per *statum naturalem, seu consistentiam,* si ita li-

Hæret loq  
tionem ta  
Quo sensu  
h. e. tam  
cultura &  
istendi lege  
nam, intell  
na justitia a  
plectatur.

CXL.

mentium le  
vulgo utim  
fuit; nisi  
inferos pr  
Quamquam  
probatum  
verò extra  
est, nequic  
Romana E  
Testamenc  
bulam lati  
cludi. N  
illum locum  
discessum d  
partim Eccl  
abstractâ po  
in inferno  
mnationis

CXLI.

quibus con  
hæc passie  
tuntur  
presentia  
qui vel in  
Ecclesia st  
sed de A



liceret loqui, locum exponant, quæ tamen ipsa statum seu conditionem tabernaculi moralem vel involvit simul, vel certè infert. Quo sensu Theophylactus: quamdiu consisteret tabernaculum, *h. e. tantisper, dum lex floreret & regnaret, perficerenturque secundum eam cultura & sacra.* Ut aded status damnatorum omnem eorum existendi legem, vivendi ordinem, operandi modum, patiendi fortunam, intelligendi formam, volendi rationem; quam ipsis Divina justitia admetitur, in quâ, ut damnati sunt, & esse debent, complectatur.

CXL. *Inferni vox*, quâ in significatione substantivâ ad exprimendum locum, in quo damnati post judicium concludentur, vulgò utimur, latina non est, pro quâ in veteri Latio *Inferi* dictum fuit; nisi quis asserere velit, utramque vocem adjectivam esse & inferos pro locis inferis atque infernum pro locò inferno poni. Quamquam verò Infernus certus sit alicubi locus, quod ceu alibi probatum supponimus, ubi tamen sit infernus, utrum intra an verò extra terræ globum? id nullo idoneo argumento doceri potest, nequicquam certam hujus rei scientiam nobis promittentibus Romanæ Ecclesiæ, vel aulæ potius, parasitis. Græcis in utroque Testamento *ᾗδης* dicitur, hebræis verò *האש*; etsi utrumque vocabulum latius sit, quam ut intra inferni angustias sese patiatur concludi. Nam & *ᾗδης* sepulcrum quandoque notat, & *האש* omnem illum locum, statumve, in quem mortui post suum ex hoc seculo discessum deferuntur. Præterea Infernus usu partim Scripturæ partim Ecclesiastico vel pœnam notat, præciso loco, vel locum, abstractâ pœnâ, vel utrumque. Cum verò nos de damnatorum in inferno statu agamus, locum intelligimus, cum pœna ipsâ damnationis voce, ut ex se patet, comprehendatur.

CXLI. Quamquam damnatorum in inferno status multa, quibus constituitur & absolvitur, includat; universa tamen isthæc passionibus & actionibus definiri possunt. Partim enim patiuntur damnati, partim agunt. De passionibus nulla nobis impresentiarum tractatio instituitur, cum de iis copiosè à plerisque, qui vel in Locis Theologicis articulum de inferno illustrarunt, vel Ecclesiasticas in illum homilias scripserunt, disputatum fuerit, sed de Actionibus duntaxat.

Ee

CXLII.



CXLII. Est autem actio in genere, definiēte Fr. Suarezio, *forma accidentalis, per quam potentia activa, in actu secundo constituitur & per quam dependet aliquid ab eā.* Quod ut rectius intelligatur, sciendum est, potentiam activam quamlibet, vel in actu primo considerari, quatenus agere potest, vel in actu secundo, quatenus actu operatur & se exerit, atque ut actu agere & sese exerere possit, per actionem fieri. Hinc Aristoteli *περὶ κινήσεως* est, lib. II. Eud. c. III. Est enim: *Utrum omnis actio sit motus?* inter primæ philosophiæ Doctores controvertatur, negativam sententiam plerisque tuentibus, cum DEI operatio, intellectio scilicet, non sit motus, immò neque creatio, neque providentia, quantum hæc talia in DEO intelliguntur; (nam, ut recipiuntur in patiente, utique motus sunt) quâ de re Petr. Hurt. de Mendoza, Disp. Phys. XI. sect. III. facilis tamen est conciliatio, si observetur, utrumque terminum, & motus & actionis, vel pressius accipi, quatenus realem in rem aliam influxum & mutationem in agente, quod ex eo, quod agere aptū est, fit agens actu, involvit; quâ ratione DEI operationibus motus quidem non competit, sed nec actio rectè potest adscribi: *vera enim actio est naturalium agentium, Deus autem non est agens physicum, etsi sit agens physicè.* II. Phys. T. LXXIII. *quia est immobilis;* ait Ernest. Sonerus, ad lib. V. Met. Ar. c. XV. vel latius, quatenus quodvis potentia activæ exercitium denotat, & à quovis animante, seu rationali seu irrationali, immò ab eo quoque, quod est *παντελὴς κίνητος καὶ τὸ πάντων πρώτος*, proficiscitur: Quâ ratione rectè se & movere & agere dicitur DEUS, cum creat, cum intelligit, vel simile quid operatur. Quæ cum actionis naturam & indolem sufficienter nobis repræsentent, amplius notandum est, actionem non tantum competere substantiis & suppositis, quæ alias principium operationis Quod & ultimum vocantur, de quibus exaudienda regula est: *actiones & passionis sunt suppositorum;* sed formis quibuslibet aliis, tanquam principiis & subjectis Quibus. Cum enim actionis quidem *συμβεβηκὸς* rebus agentibus insit, sed proficiscatur ab ipsis, quoad formâ quadam sunt prædita, quæ aut substantia est, aut qualitas quedam, dicente doctissimo Schegkio, Comm. in Prædic. Arist. de Actione, fit, ut non agens tantum ipsum, sed & forma, per quam agit, agere dicatur; quemadmodum & hominem & intellectum

in-



intelligere, & DEUM & omniscientiam ejus res omnes prævidere, & ignem & calorem calefacere dicimus. Ex quibus patet, agere damnatos dici, quotiescunque potentia quædam in iis in actu secundo constituitur, veluti cum aptitudinem loquendi, homini naturaliter insitam, in locutionis actum deducunt, neque locutionem de damnatis tantum, sed de ore quoque damnatorum, tanquam instrumento loquendi, & de ipsâ loquendi potentia, quamquam de illis primò, de his autem secundo, rectè enunciari.

CXLIII. Ut verò constet, quam varia, quamque diversa agere damnati, & de quam infinitis actionum generibus formari quæstiones haud injuriâ possint, in conspectum primò generales nonnullas actionum distinctiones, deinde in specie humanarum actionum, ad potentiarum ei inexistentium, ex quibus actiones exoriuntur, numerum exactum, quendam quasi catalogum subjiciemus. Sunt autem actiones omnes vel immanentes, quæ in eodem subjecto, aliquando etiam in eadem potentia recipiuntur, è quâ exiere atque editæ fuere, veluti intellectio, volitio, motio, ambulatio; quarum nonnullæ in homine, nonnullæ etiam in eadem facultate hominis recipiuntur; vel transeuntes, quæ in eodem supposito non recipiuntur, è quo oriuntur, veluti cum homo hominem vulnerat, ubi objectum in quod vulneratio transit, mutatur & vulnus extra vulnerantem relinquitur. Præterea actio vel substantialis est, per quam substantia producit, ut generatio, creatio; vel accidentalis, per quam accidens producit, ut alteratio, accretio. Porro alia instantanea est, quæ fit in instanti, absque ullo temporis tractu, ut generatio, si accipiatur pro inductione formæ in materiam, sine præviis alterationibus; alia successiva, quæ requirit aliquam temporis moram, ut verberatio, blasphematio, cum pluribus verbis majestatis Divinæ honorem violo. Item alia actio est materialis, seu realis, qua reale quidpiam producit, ut transportatio corporis; vel intentionalis, cum agens sui tantum speciem in patiente producit, veluti cum quis speculo formam suam imprimit, aut in alterius intellectu ideas speciesque variarum rerum excitat. Denique alia actio est directa, cum agens agit & tamen agere se nescit, veluti cum calor cale-



facit & homo turbatâ ratione ea patrat, quorum ignarus est, priusquam ratione rursus utatur; vel reflexa, cum agens solitariè supra seipsum reflectitur, veluti cum anima rationis particeps seipsam intelligit & invidiâ flagrans invidum se esse novit.

CXLIV. Sunt equidem ex Scholasticis Philosophis non exigui nominis, utpote Joh. Duns Scotus, D. Thomas Aquinas, Thomas Cajetanus, Capreolus, Paulus Soncinas, Durandus, Henricus, Ægidius de Mensurâ, & Nominales, quos recenset & sequitur Petrus Fonseca, Lusitanus, Soc. Jesu, libr. VII. in Met. Arist. c. VII. Qu. III. sect. III. p. 300. qui intelligendi actus, & actus momentaneos, ceu creationem, illuminationem & similia, docent, non esse actiones propriè dictas, sed qualitates; quia, etsi intellectio, (ut de eâ, cum in damnatos cadat, speciatim dicamus) quâdiu exercetur, semper sit in fieri, habeatque subjectum inhætionis, in quo exerceatur, non tamen sit productio alicujus termini, qui per eam intrinsecus compleatur & paulatim perficiatur, sed ipsa sit ultima perfectio intellectus, tametsi aliquando sit principium productivum alicujus alterius qualitatis, ut alicujus habitus in intellectu, aut alicujus affectus, habitusve in voluntate. Andr. Mafius, in libr. Categ. c. V. q. II. pro qualitatis secundâ specie, quæ potentia naturalis dicitur, pugnat: *mibi semper*, inquit, *placuit eorum opinio, qui statuunt actiones immanentes revocandas esse ad secundam speciem qualitatis.* Sed verò cum immanentes actiones reverâ sint progressionem potentiarum in actus earundem secundos, quibus mediântibus agens formaliter agere dicitur, fieri nequit, quin sint actiones propriè dictæ; cum, cui definitio competit, eidem & definitum competere sit necessarium. Quam enim absurdum est, verbi gratiâ, intellectum, dum intelligit, intelligentem, hoc est, non amplius potentiâ, sed actu, agentem esse, idque, quod intelligit actu, quodque antea non intellexerat nisi virtute, in se producere, quod utrumq; utraq; manu concedit Fonseca, & tamen intelligendi potentiam, sine ullo motu, sine actione, sine intellectione, in actum deduci, aut, si cum motu aut intellectione id fiat, hunc motum & intellectionem actionem propriè dictam non esse, sed potius qualitatem & dispositionem? Quam *ἄτοπον*, igitur est, ædificare sine ædificatione, & scribere sine scriptione, &, ut summarim



sim dicam, agere in specie sine actione in specie: tam inconveniens est, agere in genere sine actione, *γινώσκω*, dicta. In alio igitur prædicamento est potentia intelligens, seu intellectus, nempe substantiæ, in alio terminus actionis, quippe qui per actionem producitur, nempe qualitatis, in alio actio ipsa, nempe actionis, neque ulla necessitas est, hæc omnia singulaque, (quo Mafius, tanquam præcipuo, nititur argumento) in uno eodemque esse prædicamento. Præterea, quamquam actio potentiam ad res agendas disponat, non tamen idèd statim dispositio est, voce eo in sensu, quo in secundâ qualitatis specie jacet, acceptâ. Potest enim aliquid disponere vel formaliter, tanquam forma in subjecto recepta, quemadmodum aliquale odium in voluntate damnatos ad invidiam & iracundiam disponit; & hæc dispositio qualitas est: vel efficienter, sicut præceptor, dum literarum docet scientiam, intellectum discantis disponit; & hæc talis dispositio, qualis est & ea, quæ in actionibus immanentibus reperitur, non est qualitas, sed actio. Id quod adèd verum est, ut Fonseca ipse Scoti sententiam, non de quovis genere actionum propriè dictarum, sed partim de iis duntaxat, quæ cum passione conjunctæ sunt, partim de præcipuis, nempe *de iis, quæ habent aliquam distinctionem entitativam ab eo, quod per eas producitur*, seu à termino actionis, intelligendam esse tradat. Quamquam jam supra innuimus, ineptum non esse, si quis actionem immanentem, utpote intellectionem, à termino ejus, nempe intellectu in actu constituto, entitativè differre, sicut Fonseca loquitur, profiteatur.

CXLV. Hæc cum plana sint, difficilior nunc nobis, sed necessaria tamen expedienda distinctio est actionum, in physicas & morales. Quæ ut rectius intelligatur, sciendum est, eandem duplici sensu posse intelligi, primo, ut actiones physicae atque reales vel præcisè, ut physicae considerentur, vel ut moralitatem adjunctam habent, quo sensu una eademque actio pro diverso conceptu modo physica, modo moralis esse potest: secundo, ut omne id, quod actionum, quomodolibet dictarum, nomine venit, in duas species, physicarum nempe & moralium dispescatur. Atque, ut de priorè sensu primum dicamus, actionem physicam constat omnem eam esse, quæ & in quantum realiter influit in esse rei alterius, nu-



merò à se diversæ, eidemque essentiam quandam communicat, sicut Architectus ædificat domum, homo ambulat, cogitat, loquitur, blasphemat. Moralitatem verò tribuit huic actioni non nuda ejusdem causa efficiens: quæ, si principium Quod spectemus, homo est, si Quo, mediatum anima rationalis, immediatum voluntas, eaque vel eliciens actus vel imperans, præcedente judicio intellectus indeterminante; multa enim agit homo, quæ moralia in se non sunt, utpote, quando edit, bibit, ambulat, etsi his talibus, quando in certis circumstantiis considerantur, moralitatis quidpiam communicari possit, veluti quando edo aut bibo intemperanter, & *ambulo in viâ peccatorum*, ut David loquitur, Ps. I, 1. Quare locum hic habet distinctio inter actiones hominis & actiones humanas, quarum illæ dicuntur, quæ ab homine & potentiis ejus quacunque ratione originem trahunt; hæ verò, quæ ab homine, ut homo est, oriuntur. Cum enim homo nonnullas potentias atque facultates cum cæteris rebus animatis, vegetantibus & sentientibus, communes habeat, humanæ illæ propriè sunt, quas, ut homo, præter illas communes possidet, atque aded & actiones humanæ propriè & præse dicuntur, quibus mediantibus potentiæ illæ actus suos secundos acquirunt. Neque porrò moralitatem actionum formaliter absolvit libertas aut voluntarium earundem exercitium. Illa enim præter indifferentiam in agendo, non importat judicativam honestatis aut inhonestatis rationem, ut aded positâ libertate ponatur equidem agendi indifferentia, non verò infimul ratio moralitatis. Sic homo liberè atque voluntariè de loco in locum movetur, dum locum alium præ alio ex certis causis sibi eligit, & tamen hæc ipsa electio, hæc actio in se non est moralis, neque bonitatis aut malitiæ rationem habet. Quare locum hic habet distinctio actionum in naturales, quæ naturæ ductu & instinctu necessariò suscipiuntur, ut intelligere, velle, quoad genus, & liberas, ad quas, positis omnibus ad agendum requisitis, indifferenter nos habemus, iisdemque vel agere vel non agere possumus, ut intelligere hoc, non illud, velle hoc non illud; quæ utraque actionis species sub actione physicâ, in quantum illa morali contradistinguitur, continetur. Restat igitur, formalem actionis moralis rationem in ordine & relatione ad

re-



regulam rectitudinis positam esse, cum quâ si convenit, bona atque laudabilis, si disconvenit, mala atque culpabilis denominatur. Regulam autem illam atque mensuram internam, primam atque ultimam constat esse sanctitatem atque justitiam Divinam, quæ æterna lex vocatur, quæque sicut immutabilis est, ita & bonitatem atque malitiam actuum moralium immutabilem esse necesse est. Cum verò hæc sanctitas naturæ Divinæ non aliunde nisi ex principiis externis, eandem manifestantibus, nobis innotescere possit, igitur regula moralitatis extrinseca, immediata atque proxima, in iis, quæ non sunt spiritus, est rectum rationis iudicium, seu jus naturale, quod nobis partim natura ipsa, partim, cum illa per lapsum vehementer corrupta sit, revelatio prodit, in iis verò, quæ rationis iudicium supergrediuntur, dictata à spiritu S. Scriptura. Quicquid igitur formaliter atque intrinsecè respectum vel conformitatis vel difformitatis ad hanc regulam involvit, id morale est: & quamquam moralitas in se atque communi suo conceptu bonitatem & malitiam non includat, sed ad utramque se indifferenter habeat, prout tamen exercetur in singularibus & individua est, nulla est, quin vel ad bonitatem vel ad malitiam sit determinata.

CXLVI. Præter hæc verò, sicut ipsum actionis, ita & moralis actionis vocabulum latius nonnunquam accipitur, prout exprimit non veram tantum proprièque dictam actionem, reali influxu in rem extra se aliam tendentem, sed id etiam, quod morali æstimatione actioni veræ justè æquiparatur. Hoc est, omne id, quod sive directâ sive indirectâ intentione ad rem aliquam efficiendam dirigitur, ut res atque effectus idèd ei justè imputetur. Directa dicitur intentio, comparatione effectus, quem quis ipso voluntatis actu efficaciter expetit, adèd, ut vel velit aliquid cum respectu ad normam & regulam efficere; vel certè aliquid ad effectum conferre. Id quod vel sit positivè, cum quidpiam jubemus, suademus, ad patrandum aliquem cogimus, aut media & instrumenta subministramus, eo fine, ut facinus vel bonum factum promoveamus, cum removemus prohibens, aut agens applicamus patienti, ut res à nobis intenta feliciter efficiatur; vel negativè, cum quidpiam plenâ voluntate omitto, quod vel agere vel omittere debebam, veluti cum domo non exeo, quando in ædes juravi, vel cum domi maneo, quando, ut exirem, mihi mandatum fuit.

In-



Indirecta verò intētio dicitur, cum, licet ipso voluntatis actu rem non expetam, sciens tamen ad eandem aliquid confero, atq; adeo perinde me gero, ac si eandem expeterem. Quod iterum duplici ratione contingere potest; vel enim positivè aliquid ago, ex quo quodammodo novi effectum consequi; vel certè negativè, effectum, cum possim & debeam, non impedio. Quæ singula, licet in specialioribus rationibus prolixiori indigeant vel explicatione vel limitatione, *παρολῶς*; tamen loquendo, ab effectu, qui imputatio dicitur, rectè & commodissimè describuntur. Agere igitur moraliter dicitur, cuicumque effectus, vel secundum totum esse sui, vel certè secundum quandam ejus partem, jure meritoque vel ad laudem vel ad vituperium adscribitur. Quemadmodum qui omittit Deum amare, quem amare ex lege debebat, moraliter agere & DEI in se iram concitare censetur, qui effectus jure ipsi imputatur. Et qui omittit DEUM blasphemare, quem non blasphemare ex lege tenebatur, moraliter agere & virtuti studere censetur, qui effectus jure meritoque ei imputatur. Ex quibus liquidissime patet, non actiones tantum physicas & reales morales quandoque esse, sed & meras omissiones; & in morum doctrinâ non eum tantum agere, qui cum motu reali in rem aliquam producendam incumbit, sed & illum, qui non agendo physice, rem quampiam omisit. Sic enim Naucerus, cum tempestas furit, dormiens, quem vigilare ante omnes oportebat, vehementissime concutere navim, eandemque mergere censetur, quinimmo magis nauclero naufragium, quam ventis adscribitur. Omne igitur obsequium legi vel agendo vel patiendo præstitum actio moralis est; quod ex hætenus dictis uberrimè patescit.

CXLVII. Ubi & hoc observari debet, paulò latius patere actionis moralis vocem, cum causalitatē causæ moralis constituit, quâ cum actionibus moralibus, pressè ita dictis, attribuitur. Nam ibi agere quis moraliter potest, etsi cum ordine ad legem non agat; veluti, cum quis tollere lapidem jubet, sublati is certè lapidis causa moralis, & jussio, quâ in hunc effectum moraliter influxit, actio moralis est: non tamen sive jussio sive remotio, absolutè loquendo, morale quid est, sed actio merè naturalis, ad nullam quippe normam regulata. Actio igitur moralis, physicæ contradistincta, non intentionem tantum dicit, quidpiam efficiendi, sed intentionem, ad legem faciendi; ut ex supra dictis patet.

CXLIX.

CXLVII  
 tim in gener  
 in superiore  
 nos, quæ da  
 inferno, qu  
 Quæ quant  
 ta decimo s  
 epulone & p  
 fundamēto  
 disputatiō  
 ni moment  
 enarretur? E  
 rum verbor  
 ut quilibet  
 controverf

CXLI  
 succedunt  
 tuum pon  
 animam re  
 Quantum d  
 naturalium  
 bris corpor  
 possint? A  
 præfenti vi  
 rum omniu  
 versantur,  
 præterque  
 neque sent  
 ta puniri,  
 Numinis I  
 agant? An  
 an verò pe  
 & in glori  
 glorie ha  
 semetiplos  
 affectu pro



**CXLVIII.** Quibus suppositis quæri potest de damnatis, partim in genere, an aliquid sint acturi? quod equidem nonnullos in superiore tractatione, quorundam dictorum auctoritate motos, quæ damnatos in modum virgultorum compactos, jacere in inferno, velut cadavera, asseverare videntur, inficiari vidimus. Quæ quæstio, & complures aliæ, ex eadem profluentes ex Lucæ decimo sexto capite, & recensitâ ibi à Servatore de divite epulone & paupere Lazaro, sive historiâ sive parabolâ, tanquam fundamento, & palmariâ omnis de actionibus damnatorum disputationis sede, decidendæ sunt. Itaque nova hic & maximi momenti exoritur quæstio: utrum historia an parabola ibi enarretur? Et quo pacto, sive hoc sive illud asseratur, singulorum verborum rerumque momenta intelligantur? Hinc enim, ut quilibet facile animadvertit, plerarumque in hoc argumento controversiarum compositio præcipuè deperdet.

**CXLIX.** Quâ generali controversiâ præmissâ, speciales succedunt: an aliquid intelligant damnati? an verò cruciatuum pondere pressi, neque meminisse præteritorum neque ad animum revocare præsentia, neque cogitare queant de futuris? Quantum de DEO, rebusque Divinis, quantum item rerum naturalium, & de quibus ex ratione informamur, cum tenebris corporis pariter & mentis immergi sint, capiant vel capere possint? An reminiscantur quidquam earum rerum, quas in præsentî vitâ gesserunt? An paulatim oblivio eos occupet rerum omnium, earum præsertim, quæ oculis eorum haud obversantur, cum præter supplicia sua, præter tortores Diabolos, præterque pænarum socios nihil in æternum neque videant, neque sentiant? An intelligant, justè se à DEO propter peccata puniri, quæ agnitio nec hoc seculo in contemptores cadit Numinis Divini? An præ dolore & anxietate sciant, quid agant? An ulli adhuc assentiantur veritati? An ament Deum, an verò perpetuò prosequantur odio? An invideant salvatis & in gloriâ constitutis? An blasphement DEUM & in cœlestis gloriæ hæredes opprobria & convitia janciant? An diligant semetipfos, an verò dentibus se & scelera sua discerpant? An affectu prosequantur alios damnatos? An oderint Diabolos?

F f

An



An appetant beatitudinem? An divitias? An gloriam? An voluptatem? An cibum potumque desiderent? An ratiocinentur, unumque ex altero colligant?

CL. De actionibus transeuntibus, nec pauciora, nec quæ minorem habent difficultatem, quæri possunt? An generent damnati? An seipfos lædant aut lædere possint? An contumeliis, an verberibus semerinvicem proscindant? An videant, fumo & sulphure oculos eorum perpetuò erodente? An lacrymentur, ubi ex æstu humor nullus est, qui in fletus possit resolvi? An aërem trahant & respirent, cum in flammante igne neque aër durare, neque halitus trahi queat? An vivant, si non respirent? An loquantur, qui in intensissimo igne, deficiente aëre, sonum formare non possunt? Quomodo movere linguam possint, quorum ora & palatus ex ignis vehementiâ ita quotidie exsiccantur, ut nec guttula superfit necessarii ad motum humoris? An audiant? An sentiant, quorum membra continuis cruciatibus callum quendam obdlexerunt & *invenit non laes*? An movere manus, præ exquisitissimo dolorum sensu, an vulnerare invicem & sanguinem elicere possint? An de loco in locum ambulare? Quod non edant, bibantque, dubio carere videtur. Utrum federe aliquando & stare & jacere supini, utrum moveri possint & quiescere? An perpetuo vigilent, nunquam somnum capiant? Et si quæ sunt aliæ, quæ sive è tractatione locorum scripturæ, sive è consideratione argumentorum, pro alterutrâ opinionis parte adducendorum, ultrò enascentur.

CLI. Præterea, utrum moraliter agant damnati? cum vel legem habere non videantur, vel si habeant, vi quapiam necessitante ferantur ad agendum? Utrum in societate infernali ratio quoque imperandi & parendi locum habeat? An etiam boni quidpiam agant damnati, an verò ad malum sint profus determinati? An vires habeant liberè quidpiam agendi? An, quicquid agunt, sponte agant, an invitè, deliberato consilio, an casu & impetu animi? An actiones damnatorum, à regulâ legis Divinæ recedentes, graviora sint peccata quam hominum, præsentis seculo viventium? cum sensu atrocissimarum pœnarum iis extorqueantur, a deoque minorem, quam hæc habeant libertatem?

CLII.

CLII. Q  
vel inutiles  
castigari m  
suo tamen l  
de: constit  
inutile dici q  
vel confirmat  
esse ostender  
nus miscet,  
sumoni locu  
& opponit;  
Si fratrum su  
utrum dilig  
trum agnos  
petit; utru  
spicit; utru  
mo obstru  
le regnum  
ceteris faci  
cipiis de sin  
terum, qui  
bet, unde o  
cognosci ut  
laret, indee  
quam inext  
rari potest.  
sunt, quæ  
ptores & E  
ter atque c  
tis celestis  
puerilibus  
re in perpe  
tem & pil  
oculos, o  
ratiocinar



CLII. Quamvis hæc similesq; quæstionulæ primore intuitu, vel inutiles videri queant, vel inextricabiles, vel ita curiosæ, ut castigari majori jure silentio, quam solvi responsione debeant: suo tamen loco, si ita summo Numini visum fuerit, ad oculum demonstrabimus, nihil horum istis meritò impingi. Qui enim id inutile dici queat, quod ut ad fidem de his rebus vel efficiendam vel confirmandam Christiani nosceremus, à Spiritu S. revelatum esse ostendemus? Quod si epulo in inferno cum Abrahamo sermones miscet, quid verat quærere, utrum in tantis flammis articulado sermoni locus esse queat? Si eundem rogat, si obtestatur, si regerit & opponit; utrum intelligere, & ratione uti damnati possint? Si fratrum suorum causam agit, seriamq; pro iis curam suscipit; utrum diligere proximum, utrum meminisse præteritorum, utrum agnoscere iram Divinam? Si aquam refrigerandæ linguæ petit; utrum esurire & sitire? Si Abramum è longinquo conspicit; utrum videre oculi eorum, densissimo quantumvis fumo obstructi? Si fletu abundat & stridore dentium infernale regnum, quomodo lacrymari siccis oculis? Id quod & de cæteris facili operâ ostenderemus, nisi infra ex his ipsis principiis de singulis nobis quæstionibus disputandum esset. Cæterum, qui inextricabilis sit ea quæstio, quæ principium habet, unde deduci, unde cognosci queat? Cognito principio cognosci utique & conclusio potest, quippe quæ in principio latet, indeque institutâ analysi educi potest. Neque quidquam inextricabile dicendum est, quod labore & arte superari potest. Denique nec curiosæ disputationes dicendæ sunt, quæ veritati indagandæ instituuntur. Cum contemptores & Empectæ religionis Christianæ, qui infernum pariter atque cœlum anilibus fabulis accensent, in hanc veritatis cœlestis partem, his ipsis telis atque arietibus involant: puerilibus nugamentis similia videri hæc atque talia; vivere in perpetuis flammis hominem, neque arrodi ab igne cutem & pilos, videre in spississimâ caligine fumo obductos oculos, colloqui beatis, infinito à se intervallo distantibus, ratiocinari, intelligere, velle, discurrere, ambulare, sede-



ze, quorum facultates à tormentis, Phalaridis equuleo gravioribus, è sede quasi suâ motæ, ad edendas operationes inutiles reddantur, potum desiderare, qui corporibus spirituales præditi ab appetitu materiali, quasi naturâ abhorreant, lacrymas profundere, quibus nullum profus est nutrimentum, agere denique, qui mortui ubique dicantur; quis, nisi pietati infestus, operæ pretium facere eos negabit, qui istos irridendi prætextus solidâ informatione è medio sustulerit, & veritatis defensione atheis calumniandi occasionem eripuerit, veræque religionis cultores in necessariis ad salutis adaptionem dogmatibus confirmaverit?

CLIII. Huic itaque fini, si DEUS vitam viresque nobis concesserit, suo tempore hoc argumentum persequemur.  
Nunc verò præliminarem hanc tractationem, bono cum Deo, obfirmamus.



Index





## Index Dictorum Scripturæ.

Cap.	Verf.	Pag.	Cap.	Verf.	Pag.
<b>GENESIS.</b>					
I.	31.	122	VI.	7.	79
IV.	10.	114	XIII.	7.	166
VI.	5.	39. 120	XIX.	3.	52
XIX.	13.	114	XXXI.	13.	124
<b>EXODUS.</b>					
XX.	2.	185		12.	107
	17.	121		14.	107
	18.	121	XXXV.	18.	107
XXXIV.	6.	89	XXXVII.	16.	47
<b>LEVITICUS.</b>					
IV.	2.	124	XLIX.	12.	47
	13.	124		13.	191
XI.	44.	127		14.	191
<b>DEUTERONOMIUM.</b>					
XXVII.	26.	23. 212	LI.	15.	105. 191
XXIX.	18.	141	LXIX.	7.	121
<b>II. PARALIPOMENON.</b>					
XXIV.	13.	216	LXXIV.	6.	163
<b>HIOB.</b>					
IIIX.	3.	79	LXXVII.	23.	23. 113
X.	22.	153	LXXVII.	10.	180
XIV.	2.	216	CXII.	8.	47
XX.	26.	49	CXV.	17.	166
XXVII.	20.	99	CXIX.	105.	209
<b>PSALMI.</b>					
I.	1.	222	<b>PROVERBIA.</b>		
V.	1.	79	XIV.	17.	89
	6.	79	XIX.	12.	46
			<b>ECCLESIASTES.</b>		
			IV.	1.	57
				2.	57
				3.	57
			VII.	9.	89
				30.	122
					IX.



I N D E X

Cap.	vers.	Pag.	Cap.	vers.	Pag.
IX.	5.	166		39.	190
XI.	3.	37		44.	190
	ESAIAS.		VI.	13.	35. 135
XIV.	9.	60	VII.	18.	121. 143
	10.	60	VIII.	12.	44. 47
XXVI.	11.	61	XI.	12.	32
XXVII.	8.	62		29.	90
XLV.	7.	133	XIII.	42.	44
LIII.	5.	163		50.	44
LIX.	2.	52	XIIX.	8.	64
LXVI.	24. 44. 46. 64. 100		XIX.	17.	127
	THRENI.		XXII.	13.	44. 47
XI.	16.	47		40.	116
	HESEKIEL.			46.	195
XXXII.	27.	131	XXIV.	51.	44
XXXIII.	13.	63	XXV.	10.	40
	AMOS.			30.	44. 47
II.	8.	212		41.	34. 38. 115. 215
	ZACHARIAS.			46.	64
IX.	11.	98	XXVI.	24.	32. 57
	SAPIENTIE.			MARCUS.	
V.	2.	195	IX.	44.	46
	3.	195	XVI.	16.	212
	4.	195		LUCAS.	
	6.	195	XIII.	28.	44
	8.	24. 195	XVI.	23.	214
	14.	195		24.	38. 196
XI.	2.	81		25.	97
	SYRACIDES.			26.	186
XI.	14.	133	XXIII.	30.	57
	MATTHÆUS.			40.	212
V.	22.	190		JOHANNES.	
	28.	190	III.	18.	213
	34.	190		19.	47
	37.	35. 135	VIII.	44.	35. 135. 160
					VIII.



DICTORUM SCRIPTURÆ.

Cap.	Verf.	Pag.	Cap.	Verf.	Pag.
VIII.	51.	64	VII.	23.	39. 121. 141
XII.	35.	47		24.	135
XV.	5.	39	VIII.	2.	168
XVII.	24.	6		32.	158
XX.	25.	85	XI.	35.	79
	ACTA.		XIII.	10.	115
I.	25.	214		12.	47
VI.	10.	195	I. CORINTH.		
VII.	54.	46. 47	II.	9.	98
IX.	4.	40		14.	39
	6.	40	XIII.	12.	38
XV.	10.	32	XV.	25.	84. 155
	ROMAN.			26.	84
I.	4.	90		28.	103
	5.	90. 93	II. CORINTH.		
	6.	90	III.	5.	39
	19.	125	V.	2.	163
	21.	209		8.	215
	29.	52		GALAT.	
	30.	52	VI.	1.	87. 124
II.	4.	88		EPHES.	
	14.	124. 185. 184	II.	1.	39
	15.	46. 125. 184. 185		3.	121
	23.	70		5.	39
V.	12.	120. 129	IV.	9.	201
	13.	101. 102. 186		17.	52
	18.	213		18.	52. 209
VI.	7.	76. 94	V.	8.	47
	18.	94		11.	47
	23.	101. 183		18.	52
VII.	7.	121		19.	52
	14.	39. 121	II.	9.	108. 196
	15.	124		10.	108. 196
	16.	124		11.	108. 196
	17.	124		13.	40
	19.	39		a 2	I. THES.



DICTIONUM SCRIPTURÆ.

Cap.	Verf.	Pag.	Cap.	Verf.	Pag.
	I. THESSALON.		I.	8.	168
V.	4.	47		9.	168
	II. THESSALON.		II.	16.	122
I.	9.	64. 71	III.	4.	24. 103. 117. 124
	I. TIMOTH.			8.	35. 135. 160. 184
I.	13.	124		JACOBI	
	II. TIMOTH.		I.	19.	90
II.	13.	8. 185		20.	90
	TIT.		V.	4.	114
III.	II.	213		JUDÆ.	
	HEBRÆOS.			6.	35. 64. 139. 160. 197
IX.	8.	216		13.	47
X.	29.	71		APOCALYPSIS.	
	I. PETRI		II.	II.	49
II.	24.	163	V.	3.	201
	II. PETRI.		IX.	6.	49. 57
II.	4.	35. 139. 160. 197	XIV.	II.	100. 179
	12.	106		13.	214
	17.	47. 49	XVI.	9.	12. 24. 115
	22.	158	XX.	6.	49. 52
	I. JOHANNIS.			14.	49. 52
I.	7.	168	XXI.	8.	49



INDEX





INDEX  
Rerum & Verborum.

A.		B.	
<b>A</b> bjici à facie Dei,	174	<b>B</b> artholomæi de Spina <i>judicium</i>	
<b>A</b> ctio.		de Thoma	11
<i>Quid sit</i>	218	<i>ejusdem de Scoto</i>	13
<i>Passioni contradistinguitur</i>	173	<b>B</b> eneficia Divina	70. 126
<i>duplex</i>	ibid.	<i>Bias</i>	207
<i>dupliciter accipitur</i>	218	<b>B</b> lasphe <sup>m</sup> ia	
<i>an omnis actio sit motus</i>	ibid.	<i>quid sit</i>	99
<i>quibus competat</i>	ibid.	<i>erit in inferno</i>	117
<b>A</b> ctionum distinctiones <i>varie</i>	219	<i>ad solatium damnatorũ facit</i>	175
	seqq.	<b>B</b> onaventura	9
<i>vel Physica vel moralis</i>	221	<b>B</b> onum omne duplex.	76
<i>quomodo intelligenda hac distin-</i>		<b>C.</b>	
<i>ctio</i>	ibid.	<b>C</b> hristus	
<b>A</b> ctio vel hominis vel humana	222	<i>infernales pœnas sine ullo</i>	
<i>vel libera vel naturales</i>	ibid.	<i>peccato sustinuit</i>	93
<b>a</b> ctiones <i>scdæ</i> cur tradantur	205	<i>peccati ignarus</i>	162
<b>a</b> ctiones inferorũ frustra in Gen-		<i>peccasse eum vere nonnulli dice-</i>	
<i>tium tenebris rimantur</i>	208	<i>bant veritate imputationis</i>	163
<b>E</b> ternitas cruciatuũ infernaliũ	149	<b>C</b> oncupiscentia carnis non est à DEO	
<b>A</b> lbertus Magnus	10	<i>sed à mundo</i>	122
<b>A</b> lienatio Dei pœna gravissima	85	<b>C</b> onfusio à Deo odio habetur	83
<b>A</b> ngeli mali peccant	138	<b>C</b> upiditas carnis	122
<b>A</b> ristoteles de <i>Justitia Divina</i>	79	<b>D.</b>	
<b>A</b> ugustini liber de triplici habitaculo		<b>D</b> amnati	
<i>suppositus est</i>	4	<i>An olim in inferno sint pec-</i>	
<b>A</b> d 96	217	<i>caturi?</i>	I
		a 3	Vete-



I N D E X

Veterum de hac quaestione sententia	1. seqq. usque ad	9	Dionysii Petavii	19
Chrysostomi		1	Gottfridi Cundisii	20
Augustini		2	Georgii Albrechti	ibid.
Origenis		4	D. Dorschei	ibid.
Gregorii Magni		5	D. Dannhavveri	ibid.
Prosperi Aquitanici		6	Johannis Musci	21
Anselmi	ibid.		Adami Osiandri	ibid.
Hugonis Victorini	ibid.		Nonnulli <sup>iniquos</sup> seu sententiam	
Bernhardi	ibid.		suspendunt suam	21
Innocentii III. Pontificis Romani		7	Judicium de hac sententia	109
Scholasticorum Doctorum sententia	8. & seqq.		Alii habituali peccato tantum	
Lombardi		8	infectos esse censent non actuali	22
Henrici Gorichem Lombardi interpretis		9	Judicium de hac sententia	111
Eustachii Bonaventurae	ibid.		Sunt qui nec habituale in damnatis esse statuunt	22
Alberti Magni		10	Judicium de hac sententia	112
Thomae	ibid.		Quidam nefanda scelera adscribunt, sed negant veri generis peccata haec talia	22
Petri de Palude		12	Judicium de hac sententia	112
Johannis Duns Scoti	ibid.		Origo hujus sententia	113
Petri de Aquila		13	Alii peccaturos asseverant	ibid.
Thomae de Argentina	ibid.		Approbatio hujus sententia	ibid.
Doctorum post Reformationem sententia	16. seqq.		Argumenta negantia	74. seqq.
Lutheri		16	Argumenta affirmantia	23. seqq.
Petri Canisii Lojolitae	ibid.		Responsiones ad Exceptioes quasdam	113. seqq.
Gregorii de Valentia	ibid.		Falsa sententia refutatur	144. seqq.
Zachariae Schilteri	ibid.		Damnati Deum odio habent	11.
Burchardi Harbaridi		17		24. 19
Hugonis Sanfordi	ibid.		Semper sunt in actuli Dei odio	42
Johannis Gerhardi		18	Deum odio habent	115
Johannis Maccovii	ibid.		Blasphemant Deum	24
Gisberti Voëtii	ibid.			Deum
Georgii Calixti		19		



RERUM ET VERBORUM.

Deum non amant	21	desperant	163
inordinate moventur	24	Damnatus à peccato liberatus	94
Obstinati sunt in malo	27. 129	instar cadaverum in inferno	14
necessitatem peccandi compararunt per actum illicitum	28	cere figmentum est	172
ita roborati erunt ut non possint nisi peccare	38	comparantur ovibus	192
Peccandi voluntatem nunquam amittunt	39	genua flectunt Deo	198
erunt in infernalibus tenebris	47	An aliquid, & quid universim acturi sint?	205
volunt se non esse appetunt id, quod voluntati divinae adversatur	61	Damnatorum vox πολύσημο	212
semper peccant, ergo semper puniuntur	71	Damnatio in altera vita duplex	213
volunt omnes eodem damnationis supplicio involutos	60	Damnatus vel actum notat vel statum	215
In damnatis nulla seria poenitentia	73	Dæmones summè mali	35
poenitentiam sunt acturi in inferno	74	Eorum aspectus horrendus	86
In damnatis exclusa est omnis libidiosa delectatio	76	semper actu pœna infernali torquentur	42
Nulla ratione volunt malum	78	actualis pœna ad iudicium differtur	35
illis denegatum est solamen perpetuus inuritur dolor, silent in inferno	98	post iudicium naturam non sunt deposituri	36
nec peccare volunt nec possunt ob timorem Panicum & reverentiam	107	Delectatio duplex	155
Sunt inimici Dei	114	Desperare verbum ambiguum	163
Apud Damnatos est impatentia	116	Desperatio peccatum est	ibid.
actualiter peccant	137	Deus est benignissimus & tenacissimus ordinis amator	81
non appetunt fornicationem	155	nil potest relinquere inordinatum	ibid.
eorum intellectus obscuratur	156	ab eo omnia ordinatissima ratione reguntur	82
		non tam celer ad mala punienda, quàm homines ad patranda	89
		non est ἀδιάφορο seu indifferens	126
		nec causa mali	133
		ordinem	



I N D E X

<i>ordinem amat</i>	151	<i>Impii cum ovibus comparantur</i>	106
<i>Diabolus non potest corrigere voluntatem</i>	88	<i>totaliter intereunt</i>	ibid.
<i>Ejus propria, juxta Voëtium</i>	18	<i>Impossibilitas obediendi non excusat</i>	32
<i>Δικαιώματα varie sumitur</i>	94	<i>Inferni vox</i>	217
<i>Dolores intensissimi peccatis nullum relinquunt locum</i>	84	<i>Ubi sit?</i>	ibid.
<b>E.</b>		<i>Patiendi locus est</i>	96. 171
<i>Εξουσία</i>	186	<i>Inferni propria</i>	97
<b>F.</b>		<i>in inferno nulla lex est</i>	102
<b>F</b> <i>abula Gentilium de inferis</i>	209	<i>Objectum &amp; occasio virtutum &amp; vitiorum defutura sunt</i>	104
<i>Fabula Monachorum de frigidissimo aquarum receptaculo in inferno.</i>	46	<i>inordinati motus sunt</i>	24
<b>G.</b>		<i>ordo &amp; confusio simul erit</i>	153
<b>G</b> <i>ehenna consideratio plurimum conducit</i>	205	<i>Infernalium Supplicia erunt aeterna</i>	62
<i>Gentiles è naturali lumine cognoverunt Deum esse justum</i>	78	<i>Infernale Supplicium est officina absolutissima poenarum</i>	98
<i>nec esse causam malorum</i>	128	<i>Infernalium tormentorum erit perpetua continuatio</i>	100
<i>Genua flectere</i>	196	<i>Inordinatio omnis duplex</i>	152
<i>Guttula aquae diviti Epuloni dene-gata</i>	98	<i>Intentio vel directa vel indirecta</i>	223
<b>H.</b>		<i>Judas gravius peccavit, quam Scriba &amp; Pharisæi</i>	32
<b>H</b> <i>esiodus de Justitia divina</i>	79	<i>Judeorum correctio desperanda</i>	48
<i>Historia de puella obsessa</i>	199	<i>ἰσχυρ</i>	107
<i>Homo primus conditus est in naturali harmonia.</i>	128	<i>Justitia Divina</i>	
<b>I.</b>		<i>An conveniat justitia &amp; misericordia Divina peccata temporalia aeternis poenis adfligi</i>	62
<b>I</b> <i>mmutabile dicitur quid dupliciter</i>	159	<i>Datur in Deo essentialis justitia</i>	78
<i>Impatentia seminarium peccatorum</i>	73	<i>quod gentiles agnoverunt</i>	ibid.
		<i>Justitia vulgaris diviso</i>	79
		<i>Justificatum esse ambigue sumitur.</i>	165
		<b>L. Lex</b>	



RERUM ET VERBORUM.

L.

**L** Ex natura cur ita vocetur 128  
 Lex vel naturalis vel positiva, 184  
     *naturalis duplex* 185  
     *Damnata lata* 185  
     *moralis damnata lata* 186  
 Lombardus 9  
     *eiusdem vituperium* 183  
 Longanimitas Divina 88. 161  
     *difert à magnanimitate* 89  
     *eiusdem finis* 90  
     *causa, cur Deus non tam celer ad mala punienda,* 89

M.

**M** Alim nemo appetit ut malum 76  
     *mala ordini universali non contrariantur* 153  
 Mani hai. 128  
 Misericordia hominis potest dupliciter considerari 29  
 Mors  
     *secunda damnatorum.* 49 50  
     *sumitur vel totaliter vel partialiter.* 51  
     *aterna*  
     *quæ enam intelligatur Gen. 2.* 85  
 Mortuus omnis à peccato liberatus est. 94. 164  
 Mortuus est vocabulum ambivuum 165  
 Motus inordinati sunt in inferno 24. 118  
 Motus ordini & legi divina repu-

*gnantes non sunt à Deo, nec à natura sed à voluntate.* 28  
*motus duplex est.* 118. 218

N.

**N** Aturales inclinationes quæ vitari non possunt non sunt peccata, 118  
 Necessarium duplex 159  
 Non esse dupliciter consideratur, 58

O.

**O** Bediendi impotentia non eximit ab obligatione, 25  
 Obstinatio  
     *auget peccatum* 26  
     *duplex est secundum Albertum* 129  
     *est peccatum,* 130  
     *in malo à Deo non efficitur,* *ibid.*  
     *ejus causa duplex secundum Albertum,* 132  
 Odium Dei est peccatum, 115  
     *Scaturigo vitiorum,* *ibid.*  
 Opiniones de statu animarum post mortem. 214  
 Ordo omnium rerum. 82  
     *duplex* 152  
     *ordinis amor in Deo,* 151  
 Origenis circulus, 5  
     *eiusdem error,* 40  
 Orpheus de iustitia, 80  
     *de inferis,* 208

P.

**P** atrum auctoritas nulla reclamante Scriptura, 146  
 Peccatum, 24  
     *quid*



INDEX

quid sit	24	Spuria peccatum est.	ibid.
nullus amplius locus erit in altero seculo,	84	Potentia activa dupliciter sumitur,	218
originis	120	Purorum status à Papisolis confictus,	25
quoddam est involuntarium	124	purum figmentum est,	121
unum gravius est quam aliud	149		
damnatorum coerceri nequit	150		
unde habeant tantam magnitudi- nem	66	<b>R.</b>	
in inferno deponi non possunt	73	<b>R</b> atio habet duas partes,	30
neq <sub>3</sub> revera neq <sub>3</sub> apparenter bo- num.	78	Rejectio damnatorum erit spi- ritualis non localis,	38
esse nequit, ubi lex non est,	103	est poena damnatorum,	85
Peccare in suo eterno quomodo dica- tur,	67	Richardus,	14
Petri de Palude encomium	12		
Pœna quid sit	96	<b>S.</b>	
in qua re querenda proportio in- ter poenas & peccata,	66	<b>S</b> apientia liber est Apocryphus,	145
dura videtur sensibus humanis	66	Scholastici,	101
poenarum infernalium crudelitas	85	eorum autoritas,	182
poena peccatorum duplex	148	eorundem vituperium,	182
poena infligenda finis duplex	156	שאר	191. 194. 214. 217
poenarum diritas nec sensum in- tercipit nec intellectum,	43	שרו	165
poena damnatorum erunt eterna,	64	Scotus Doctor subtilissimus,	12
natura poenarum infernalium	96	ejusdem feralis ignorantia,	13
consistit in passione	96	Seneca de bono hominis,	29
augmenta & decrementa capere	148	Separatio à Deo fit varia,	52
in inferno absurdum non est,	148	Simile de canibus furiosis,	99
poena duplex,	174	de lusoribus,	67
poenarum mitigatio absurda,	181	Silentium duplex,	194
Pœnitentia duplex,	145	Solatium duplex,	175
		Status vocabulum,	216
		beatorum consistit in visione beati- fica,	38
		Damnatorum,	217
		Stridor dentium universam inferni poenam denotat,	44
		unde oriatur,	17
		à non-	



RERUM ET VERBORUM.

à nonnullis metaphoricè sumitur,		Vermiculi laus,	83
	45	Vindicta,	99
à quibusdam invidia & indignationi adscribitur,	ibid.	Visio beatifica erit spiritualis non ocularis,	38
proprie intelligendus,	46	Voluntas in damnatis est obstinata,	26
Subjectio duplex,	199	est indurata,	31
		voluntas hominis post mortem est invertibilis,	34
		damnatorum voluntas an sit mala,	11
		est difformis à voluntate Dei,	59
		voluntas mala peccati rationem an habeat,	3
		Sumitur dupliciter juxta Bonaventuram,	10. 136
		voluntas nil appetit nisi sub forma boni,	147
		voluntatem peccandi habere quid sit Augustino,	3
		voluntarium quid dupliciter dicitur.	28

  

<b>T.</b>	
<b>T</b> enebrae infernales,	47
sunt naturales,	ibid.
Metaphoricae,	ibid.
Spirituales,	ibid.
Tenebrae exteriores,	143
Thomas Doctor Angelicus,	10
Thomæ de Argentina laus à Martino Flach decantata,	15

  

<b>V.</b>	
<b>V</b> ermis mordens quid denotet,	20

FINIS.





13. FEB. 1957

*Faint red handwritten text, possibly a library stamp or date.*